A Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione
del P. Fra Pierpolo Antonio Micoli Inquisitor Generale
del Santo Offizio di Padova nel Libro intitolato: Pe. Pimen-
te conto Principi, e buoni costumi, concedendo Licenza a
Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia, che possa esser stam-
to, osservando gli ordini in materia di Stampe, e prelevando
le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 21. Marzo 1763.

(Marco Foscarini Kav. Pro. Rif.

(Alvise Mocenigo IV. Kav. Proc. Rif.

(Pol. Renier Rif.

Registrato in Libro a Carte 125 al num. 561.

Giacomo Zuccato Segr.

Registrato

Francesco Gradenigo Segr.

JO. FRANCISCI SCARDONÆ
CIVIS RHODIGINI

In Patria Scientiarum Academia Medicinæ Lectoris

APHORISMI
DE COGNOSCENDIS
ET
CURANDIS MORBIS

Uberrimis commentariis, atque animadverſionibus illuſtrati,

Quibus quæſtiones ſingulæ, quæ cum in theoriam, tum in praxim medicam cadunt, hodie maxime illuſtres ſedulo pertractantur, diſcutiunturque.

EDITIO ITALA TERTIA
AUCTIOR, ET RETRACTATIOR.
LIBER SECUNDUS

Præcipuos Morbos Pectoris complectens.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLXII.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

JOA. FRANCISCI SGARDONÆ

CIVIS RHODIGINI

In Patria Scientiarum Academia Medicinæ Lectoris

APHORISMI

DE

COGNOSCENDIS

ET

CURANDIS MORBIS

Universis compectantibus, atque animadvertionibus illustrati.

Quibus quædam singulis, quæ cum in theoriam, tum in praxim medicam
conducunt, locis maxime illustre scholo pertractantur, dilucidantur.

EDITIO ITALA TERTIA

AUCTIOR, ET RECTIFICATIOR.

LIBER SECUNDUS

Practicos Morbos Lectoris complectens.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLXII.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

I. De Angina vera. 1

II. De Hæmoptisi. 16

III. De Phthisi pulmonali. 28

IV. De Peripneumonia, Pleuritide, Empyemate. 47

V. De Pectoris hydrope. 65

VI. De Asthmate humido, & convulsivo. 77

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *Fra Franceſco Antonio Mantoa* Inquiſitor Generale del Santo Officio *di Padova* nel Libro intitolato : *Jo. Franciſci Scardonæ Rhodigini Aphoriſmi de Cognoſcendis, & Curandis Morbis &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 21. Marzo 1762.

(*Marco Foſcarini Kav. Proc. Rif.*
(*Alviſe Mocenigo IV. Kav. Proc. Rif.*
(*Polo Renier Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 125. al num. 561.

Giacomo Zuccato Segr.

Regiſtrato

Franceſco Gadaldini Segr.

APHO-

APHORISMI
DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS.

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

De Angina vera.

I. *Anginam veram cum dicimus, inflammationem potiſſimum faucium, & partium vicinarum intelligimus, ad differentiam nothæ, ſeu ſpuriæ, quæ* 1. *ab infarctu ſeroſi, ac viſcidi humoris in glandulis ſalivalibus,* 2. *dictarum partium convulſione,* 3. *oſſis hyoidis luxatione proficiſcitur.*

II. *Cauſæ antecedentes, & procathartice ſunt ſuppreſſio improviſa naturalium evacuationum, menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, vini generoſi potus immodicus, immoderata corporis exercitatio, vociferatio in aere frigido, vel cui ſuccedat aquæ frigidæ copioſa potio, venena cauſtica, mercurialium, & arſenicalium fumi, helleborus, fungi, ſolanum furioſum comeſa.*

III. *Signa anginæ veræ ſunt, deglutiendi, ac reſpirandi difficultas plus minus inſignis pro vario inflammationis ſtatu, difficilis locutio, rubor faucium, tumor interdum apparens, quandoque nullus, pulſus durus, celer, frequens, tenſus, calor univerſi corporis, ſitis intenſa, lingua arida, ſicca, vel lympha craſſa obducta.*

IV. *Spuriæ ab infarctu ſeroſi, ac viſcidi humoris tumor citra rubedinem, febris vel nulla, vel pauca, & lenta.*

V. *Quæ oritur a convulſione ſubito invadit, ac citiſſime ſolvitur citra febrem, tumorem, rubedinem, aliaque recenſita Symptomata aph.* 3.

VI. *Tutius eſt ægrotantem difficulter deglutire, quam difficulter reſpirare.*

VII. *Si diſcuſſa angina, peripneumonia ſuperveniat, malum.*

VIII. *Ne ſuppuratio quidem omnis periculi eſt expers.*

IX. *Dolor ſine manifeſta cauſa remittens, pulſu interim parvo, humili, formicante ſuperveniente, voce catulina, faciei nigredine, oculorum diminutione, brevi ægrum periturum prænuntiant.*

X. *Ubi inflammationis veræ ſigna appareant, nulla interpoſita mora ſanguis primum ex baſilica brachii, tum ſi ſuppreſſio ſit improviſa Menſium, aut Lochiorum, aut Hęmorrhoidum, ex pede, tandem ingraveſcente Angina ex jugularibus manu periti Chirurgi detrahendus, & ſublingualibus.*

XI. *Si vires debiles ſint, Cucurbitulæ ſcharificatæ Cervici, vel etiam Mento applicandæ, vel hirudines pone aures, & in cervice.*

XII. *Quæ dum fiunt oleum Amygdalar. dulc. ad unc. iv. cum raſur. dent. Apr. .s. lævig. ad ℥ i. propinandum: & ad unc. i. ſæpius, ut ope cliſmatis laxantis per alvum dejiciatur.*

XIII. *Gelatina quoque Corn. Cer. uti præſtat, cui ante congelationem addatur ſtibium diaphoret. aut raſur. dent. apr. mandibul. Luc. iſc. .s. lævigata.*

XIV. *Mucilagines quoque ex ſeminibus Malvar. Alth. Pſyl. Violar. ad unc. vi. cum ſyrup. papaver. rhęad. de ibiſc. violar. ad unc. i. .s. ore detinendæ, & ad fauces blande dimittendæ. Hiſce ſubſtitui poteſt aqua hordei, in qua ebullierint flores ſambuci cum lacte mixta.*

XV. *Progreſſu morbi gargariſmata ex aq. malvar. hor. unc. x. ſyrup. diamor. unc. i. .s. nitr. puriſſ. ℥ i. vel ſalis armoniac. ϑ i. concedi poſſunt.*

XVI. *Extrinſecus Cataplaſmata ex fol. malvar. parietar. branch. urſin. fl. melilot. verbaſc. radic. lilior. albor. nid. birudin. oleo Chamomil. ſubactis parata applicentur.*

XVII. *Si angina vera, ſuperata acutie, chronica fiat, veſicantia ſunt admovenda.*

XVIII. *Si ad ſuppurationem tendat tumor, eadem cataplaſmata extrinſecus applicanda, ſi febris, & dolor gravior fiat, venæ ſectio repetenda, mucilagines prædictæ ore tepidæ detinendæ uſque ad perfectam maturationem, qua facta niſi ſponte diſrumpatur tumor, aut digito, aut candela cerea diſrumpendus ſi fieri poſſit, ſin contra Garengeos inſtrumento Chirurgico pertundendus.*

XIX. *In Angina ſuffocativa Laryngotomia inſtituenda, ſi cauſa ſuperior ſit ſectionis loco, & gangrænæ ſignis abſentibus num. 9. recenſitis.*

COM-

COMMENTARIA,
ATQUE ANIMADVERSIONES
IN APHORISMOS
DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS.
LIBER II.

CAPUT I.

De Angina vera.

I. *Anginam veram cum dicimus, inflammationem potiſſimum faucium &c.*) Angina ab ἀγχωὴ græcorum dicitur, non ſecus ac ango ἀπὸ τῦ ἄγχειν, quod ſtringere, & ſtrangulare ſignificat. Hujuſce porro celebris fuit apud Veteres Medicos diſtinctio in quatuor ſpecies, quam docente Galeno (1) deſumebant ex loci affecti varietate; ſiquidem inflammatio interiores Laryngis muſculos occupans ab ipſis appellabatur Cynanche, exteriores vero Paracynanche: ſimiliter inflammatio interiores pharyngis muſculos occupans Synanche, exteriores vero Paraſynanche. Verum rem ſedulo ad examen revocans Galenus has nominum diſtinctiones adeo contemnere viſus eſt, ut affirmare minime dubitaverit, tum primum homines res ipſas neglexiſſe, cum nimio ſtudio nomina quærere cœperunt. Cui adſtipulari viſi ſunt moderni, præ cæteris Cl. Bellinus, qui hanc quaternariam diſtinctionem ad nominum potius pompam, quam rei momentum excogitatam prætendit, ac propterea tamquam inanem, ac falſam rejiciendam. Cum enim muſculi tam interni, quam externi pharyngis, ac laryngis proximi ſint inter ſe, & omnes quaſi ſimul connexi, vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, ut interiores muſculi exterioribus intactis, ac pharyngis muſculi ſeorſim a laryngis, inflammationis capaces ſint. Quare ſatius viſum fuit exploſa hac nominum diſtinctione illud affirmare, varium eſſe poſſe Anginæ gradum, ſævioris nempe, mitioriſque pro majore, aut minore ſpatio quod occupat inflammatio, non ſecus ac diverſi eſſe poſſunt gradus in quolibet alio morbo. Nonne contingit præter fauces Laryngem, vicinaſque partes inflammari? quin immo inflammationem ad cervicem ipſam exteriorem protendi hiſtorię virorum fide digniſſimæ teſtantur. Quæ cum ita ſint, Anginam ſævioribus ſtipari poſſe ſymptomatibus, mitioribuſque, tam nota res eſt, quam quæ notiſſima. Quamquam varia diſtinctio Anginæ pro loci affecti varietate excludenda ſit, illa tamen retinenda videtur, quam ex cauſarum diverſitate deſumunt; ſiquidem ſi fauces, vicinęque partes inflammentur, veram Anginam dicunt; ſi vero alia ratione afficiantur, ſpuriam appellare conſueverunt, quę multiplex eſt, ut ex dictis liquido conſtat.

Ad differentiam nothæ, ſeu ſpuriæ, quæ 1. *ab infarctu ſeroſi, ac viſcidi humoris &c.*) Si ſanguis vel plus juſto rareſcens ſit, vel copia peccans, vel craſſitie, viſciditate, ac lentore, cum motus minima celeritate in capillaribus arteriis retardetur, aut ſubſiſtat, eorumdem vaſorum diſtentionem prętnaturalem fieri contingit, ſanguinem ſibimet ipſi curſum præpedire, ac novo continuo affluente in lateralia lymphatica cogi, unde tumor, rubor, & alia hujuſmodi ſuperveniunt. Idem plane dicendum, ſi ipſę capillares arteriæ aut nimia laxitate laborent, aut adſtrictione, unde ſanguini etiam naturaliter conſtituto libera circulatione trajiciendo in venas impares ſint. Quibus ſic conſtitutis licet colligere, prio-

(1) 4. *de loc. affect.* 3.

rem anginæ nothę ſpeciem a vera tantum differre in hoc, quod in vera ſanguis extra propria vaſa effunditur, tumoremque ſanguineum, ſeu, ut ajunt, phlegmonodem excitat; in notha vero lympha tantummodo, ac ſerum in iiſdem partibus, in quibus ſecretum ab arteriis reconditur, atque excernitur, glandulis nimirum ſalivæ ſecernendæ, atque excernendę dicatis, quæ in univerſa oris laryngis, & pharyngis ſuperficie maxime conſpicuæ ſunt, ſubſiſtit, obſtruit, tumoremque lymphaticum, album (frigidum Veteres dicebant) progignit.

II. *Dictarum partium convulſione &c.*) Galenus cum ad credendum vehementer adductus eſſet, omnes affectiones, quæ faucibus accidunt, ſi ſpirationem, ac deglutitionem quoquo modo impediant, Anginas nominandas eſſe, meminit (1) cujuſdam Anginę ex luxatione vertebrarum cervicis ad anteriora, unde fauces compreſſæ ſunt, atque impedita ciborum, ac potuum ad ſtomachum tranſmiſſio: id quod accidere poſſe manifeſtum eſt ab ictu, caſu, aliaquę ſimili cauſa. Quamquam Hippocrates (2) quoſdam in hanc Anginę ſpeciem incidiſſe memorat citra cervicis a cauſa externa læſionem. Quo factum eſt, ut veroſimilior videretur opinio, a confluxu humorum vertebras fuiſſe luxatas, indeque anguſtatis faucibus anginam obortam. Verum qui rem ſerio perpenderit, vix poterit in horum ire ſententiam; ſiquidem notum eſt ex Anatomicis per vertebrarum foramina ſpinalem medullam in univerſas fere corporis partes miras nervorum ramificationes diffundere: quo apparet, luxationem vertebrarum dari vix poſſe, quin ſpinalis medulla comprimatur, vel ejus ſtructura pervertatur, unde liber ſpirituum a Cerebro ad partes, ab his ad Cerebrum excurſus præpediatur. Quod ubi contigerit, ecquis eſt, qui non videat, luxationem iſtam Apoplexiæ magis, aut Paralyſi, quam Anginę inferendæ aptam exiſtere? Quare illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur cum Boerhaavio, Anginam, quæ a luxatione vertebrarum oriri dicitur, a convulſione potius proxime repetendam eſſe. Cum nervi inſervientes motui organorum, quę deglutitioni, aut reſpirationi dicata ſunt, muſculorum ſcilicet Laryngis, aut Pharyngis convelluntur, in ſimilem convulſionem agi eoſdem muſculos manifeſtum eſt; hinc ſubita Angina Hyſtericis, Epilepticis familiaris. Si ulla luxatio Anginę inferendę par eſt, ea certe eſt luxatio oſſis hyoidis. Rariſſimum tamen eſt id evenire, ut nullas hujuſce rei hiſtorias habeamus apud Auctores, ſi illam excipias, quam tradit Cl. Valſalva in egregio tractatu *de Aure humana*.

III. *Cauſæ antecedentes, & procathartice ſunt ſuppreſſio improviſa naturalium evacuationum &c.*) Novi puellam circa annos pubertatis conſtitutam, quę cum immodicæ ſanguinis menſtrui eruptione laborare crederetur, Empirici cujuſdam conſilio adſtringens remedium aſſumpſit: ſubſtitere improviſo menſes: de faciei rubore primum, ac calore, doloreque capitis conqueſta eſt, tum de turgeſcente lingua nullo fere cum dolore inter initia, quem tamen poſtea lingua in eam magnitudinem aucta, ut deglutitionem, & ſermonem non parum impediret, inter comedendum experta eſt: tandem in deglutiendi, ac reſpirandi difficultatem tantam elapſa eſt, ut in ſummum vitæ diſcrimen acta fuerit. In anginam veram incidiſſe puellam ob ſuppreſſionem improviſam menſium ab adſtringente remedio incaute aſſumpto, etiam me tacente facile omnes intelligunt. Quotieſcumque nimirum plenitudo ſanguinis adſit, quæ tamquam cauſa prædiſponens ad inflammationem excitandam par ſit, ad inchoandam ipſam inflammationem opportuniſſima exiſtit: ſi huic conjungatur efferveſcentia, ac fervor ſanguinis ab aucto ſolidarum partium motu productus, eadem perficietur, ut adnotavit Cl. Pitcarnius (3). Ejuſcemodi tumores etiam in aliis partibus ob eamdem cauſam accidere conſueverunt. Sic menſtruis deficientibus mammæ evadunt turgidæ, quod jam Hippocrates præ cæteris adnotavit.

Vini generoſi potus immodicus.) Vinum, ut alibi demonſtratum eſt, inſigni ſulphurearum particularum copia ſcatet, quæ ubi in maſſam ſanguinis pervenerint, eamdem exſolvere, ac majorem in modum rarefacere habent. Sanguinem autem plus juſto rareſcentem facile in extremitatibus vaſorum ſubſiſtere, atque inflammationem excitare manifeſta res eſt. Sulphureis, ac volatilibus exhalantibus acidæ, terreſtres, craſſioreſque relinquuntur, ſanguis craſſus, viſcidus, atque ad motum minus expeditus

(1) 4. *de loc. affect. cap.* 3. (2) *Epid.* 6. *ſect.* 2. (3) *de circulat. ſanguinis.*

tus redditur . A craſſitie vero , ac viſciditate ſanguinis inflammationem exoriri , adeo manifeſtum eſt , ut nihil ſupra. V. com. in aph. 6. lib. 1. cap. 4.

Immoderata corporis exercitatio , vociferatio in aere frigido , vel &c.) Inſignem ſanguinis rarefactionem progignere immoderatam corporis exercitationem , & ſi diuturna fuerit , craſſitiem , viſciditatemque , alibi oſtendimus (1). Prędicta ergo de cauſa inflammationem procreari luce clarius apparet . Huc accedit , ab aere nimis frigido tum collum exterius ambiente , tum intus inſpirato , vel a potione copioſa aquæ frigidę fauces , guttur , vicinaſque partes affici , atque minimas capillares arterias eaſdem partes perreptantes convelli , anguſtioreſque fieri , quam ſanguini utcumque conſtituto rapida circulatione trajiciendo ſufficiant , hinc eſt faucium , vicinarumque partium inflammationem præ cæteris exoriri .

Venena cauſtica , mercurialium , & arſenicalium fumi &c.) Quęcumque faucibus immediate applicita eaſdem vellicando , mordendo vaſorum extremitates conſtringere habent ea ratione , qua liber ſanguinis excurſus prępediatur , Anginę quoque inferendæ opportuniſſima exiſtunt . In horum cenſu veniunt venena cauſtica , atque minerarum mercurialium , atque arſenicalium fumi , qui ſubtiliſſimis , atque penetrantiſſimis ſpiculis donantur , quę ubi in Muſculorum Laryngis , ac Pharyngis fibras ſe ſe inſinuaverint , nerveas tunicas in convulſivas contractiones agunt , unde ſanguis in vaſis facile ſubſiſtit , atque inflammatio excitatur . Ventriculum autem , & inteſtina maxime ſphaceloſa , & maculis nigris obſita inveniri , ubi in ſtomachum ingerantur ejuſcemodi venena , innumeris diſſectionibus cadaverum compertum eſt , atque etiam experimenta a Cl. Wepffero adducta (2) id ſatis liquido demonſtrant .

Helleborus .) Purgationem ex helleboro difficilem eſſe , terroriſque plenam , ſolique robuſto , & animoſo adhibendam egregie adnotavit Fernelius . Quod Meſues quoque noviſſe videtur affirmans , homines ſui temporis ferre non poſſe Helleborum album , nigrum vero nonniſi difficillime . Tantæ eſt activitatis helleborus albus , ut ejus ſucco olim venatores Hiſpani , & Galli telis ſuis illinitis Cervos necaverint , unde venatoria venena , & paleſtrica ſunt appellata , quæ de re conſulendus Cæſalpinus (3) , Crato (4) & Celſus (5) .

Inter graviſſima , atque horrenda ſymptomata , quæ ab helleboro excitantur frequentiſſime occurrunt oris , faucium , atque muſculorum Laryngis , ac Pharyngis moleſtię inſignes , ut linguæ arefactio , dentium conſtrictio , ſuffocatio . Cujuſce rei locupletiſſimos teſtes habemus Dioſcoridem ipſum , ac D. Tournefortium , qui etiam fatetur , omnes , quibus Hellebori orientalis (mitior enim nonnullis reputatur) extractum exhibuit , etiamſi de ſuperpurgatione non quererentur , nauſeis tamen torqueri , ventriculi gravedine cum acrimonia , & phlogoſis ſuſpicione conjuncta , quę fauces , & anum etiam minitabantur .

Fungi .) Fungi fere omnes ſunt maligni , atque avide deglutientibus non raro funeſti , & exitiales : unde a *funere* , vel a *funus ago* , vel a *fungor* fungi dicti videntur , ſeu qui veſcentes ad funus deducunt . De his legi meretur Athanaſius Kircherus (6) ubi ait : *Fungus qualiſcumque ſit ſemper malignus eſt , ſemper exitialium qualitatum apparatu inſtructus : etſi non ſtatim ſentiatur , frequenter tamen comeſus , neſcio quid tamen occultæ machinationis interiore viſcerum adminiſtratione moliatur* . Conſentientibus autem accuratioribus practicis ſymptomata , quæ ab his excitantur , ſunt præ cęteris vomitus , pręcordiorum anxietas , ſtrangulationis ſenſus . Specifica nempe quaſi indole iſtorum ſalinę , ſulphureæ , ſubtiles , acres , ac cauſticę particulæ , quibus ſcatere creduntur , faucium , ac ventriculi membranas , fibraſque nerveas irritare , vellicare habent , & in violentas contractiones agere , unde dictæ moleſtiæ facile ſubſequuntur . Ita Pauſaniam puellam apud Hippocratem in ſuffocationis periculum fungorum eſu adactam fuiſſe , familias apud Plinium extinctas habemus . Lutetię Pariſiorum ſtudioſos quinque adoleſcentes mortuos refert Thom. Bartolinus , ut alia mittam exempla eorum , qui vel perierunt , vel graviſſime ægrotarunt , quæ legi poſſunt apud Jo. Schenkium (7) , Stalpartium van de Wiel (1) ,

(1) *com. in aph. 6. lib. 1. cap. cit.* (2) *tract. de cicut. aquat.*
(3) *in tract. de venen.* (4) *lib. 2. prax.* (5) *lib. 5.*
(6) *tract. de peſt.* (7) *obſ. medic. l. 7.*

(1), Foreſtum (2) Hildanum (3), Botallum , Vidium , alioſque . Quid plura ? Nullam eſſe ætatem affirmat Cl. Sennertus (4), nullam corporis conſtitutionem , in qua non plus plerunque incommodi, quam ex uſu tuberorum, & fungorum proveniat. Quo loco fateor, me juſtis laudibus æquare non valere, quæ tradidit J. Rajus adverſus illos, quibus cibi quidam non omnis malitię expertes in deliciis ſunt , ajens : *Apagete ergo iſthæc gulæ blandimenta. Quæ tanta* , ut cum Plinio loquar , *ancipitis cibi voluptas? An uſque adeo vitæ tædet , ut eam tam vili offa permutemus , mortemque ſemper in procinctu ſtantem ſollicitemus ?*

Solanum furioſum.) Eadem fere ſymptomata exoriri dicuntr ex ſolano furioſo , ſolano Maniaco, ſeu Belladona . Malignam, & deleteriam hujuſce plantæ virtutem multis experimentis , & exemplis confirmavimus cum de delirio ageremus , ut nullus hic relinquatur dicendi locus . (5).

III. *Signa anginæ veræ ſunt deglutiendi , ac reſpirandi difficultas &c.*) Non poſſe muſculos Laryngis, & Pharyngis inflammari , quin aeris in pulmones liber ingreſſus, ac ciborum commoda deglutitio impediatur, manifeſta res eſt : hinc eſt cur in inflammatione fauces , vicinaſque partes occupante cum ſpirandi , tum deglutiendi difficultas exoriatur. Hanc porro fieri dicimus, cum ſanguis extra vaſa propria in lymphatica lateralia , ſeu vaſa tenui lymphæ , ac ſero vehendo dicata effunditur . Nemo eſt igitur , qui non videat , & ruborem faucium, & tumorem apparere debere. Quamquam vero eſt quædam Anginę ſpecies , quam internam , & latentem appellare conſueverunt Medici , in qua videlicet nullus nec tumor , nec rubor apparet , quæ periculoſiſſima eſt, ut docuit Hippocrates (6): *Angina graviſſima eſt , & celerrime interimit , quæ neque in cervice , neque in faucibus conſpicuum quid habet . Hæc etenim eodem die , & ſecundo , & tertio , & quarto ſtrangulat.*

Pulſus durus , celer , frequens , tenſus , calor &c.) Non poteſt ſanguis in aliqua parte ſubſiſtere , quin nerveæ tunicæ exquiſitiſſimi ſenſus in pręternaturales vehementiores , crebrioreſque contractiones agantur , quæ cordi , & arteriis communicatę pulſus duritiem , celeritatem , frequentiam excitent . Corde autem , & arteriis violenter , ac celeriter motis, qui reliquus eſt in vaſis ſanguis mutuas patitur ſuarum partium aliſiones ; acres , volatiles , ſulphureæ a reliquarum nexu ſecedentes , ac per univerſam maſſam ſanguinis diffuſæ ejuſdem agitationem , fervoremque augent : hinc calor.

Sitis intenſa , lingua arida , ſicca &c.) Eadem de cauſa ſalivæ ſecretio inhibetur , hinc ſitis intenſa , lingua arida , ſicca apparet . Niſi ſalivæ ſecretio ob auctum ſanguinis , humorumque motum inhibeatur , craſſa ac ſpiſſa redditur a calore , qui in faucibus , viciniſque partibus habetur propter inflammationem . Cum enim ſaliva conſtet ex partibus aqueis, terreſtribus, ac gelatinoſis , quotieſcumque avolaverint aqueæ , remanent craſſiores, & gelatinoſæ , quæ calore facillime condenſantur, non ſecus ac albumen ovorum ad ignem concreſcit . Atque hinc eſt lympha craſſa , ac ſpiſſa obductam apparere linguam .

IV. *Spuriæ ab infarctu ſeroſi , ac viſcidi humoris , tumor citra rubedinem &c.*) Quotieſcumque materia tumorem faciens non ſanguis proprie dictus eſt , ſed ſerum , ac lympha craſſa , viſcida , ac difficilis , tumorem cum rubedine , quem phlegmonodem appellare conſueverunt Veteres fere Medici , ſequi non poſſe luce clarius apparet. Quid quod lenta, viſcida , ac difficili peccante materia , & fibrarum laxitate , ſulphureæ, volatiles , tenujoreſque particulæ minime exſolvi poſſunt ea ratioue , qua opus eſt ad febrem, calorem , fervoremque excitandum ?

V. *Quæ oritur a convulſione ſubito invadit , ac citiſſime ſolvitur citra febrem &c.*) Quam mira res videtur , momento fere temporis convulſionem homines invadere , atque diris , ſæviſque modis eoſdem exercere , interdum vero eodem ipſo momento tolli extemplo , ac placidam exoptandam tranquillitatem ſupervenire ! Nempe ſpiritus animales cæco impetu hac illac ruentes ſi in ordinem redigantur , omnium ſymptomatum ſubita remiſſio contingit , atque quies . Neque enim cogitandum eſt cum affecti ſunt nervi , aut ſpiritus a cauſa aliqua

(1) *cent.* 1. *obſ.* 40. (2) *de ven. obſ.* 2. *p.* 36. (3) *cent.* 4 *obſ.* 35.
(4) *lib.* 4. *P.* 1. *cap.* 3. (5) *Vid. com. in aph.* 4. *cap.* 4. *lib.* 1.
(6) *prædict. lib.* 3. *cap.* 8.

quà mole ſpectabili affectos eſſe. Sæpe minimum eſt, ac plane ſenſus omnes fugiens, quod eoſdem lædit, atque inſignes in ipſis turbationes creat. Mirum autem vel opii tantillo, vel quiete inducta violentos, perturbatoſque nervorum, ac ſpirituum motus protinus ſedari, aut componi. Quę ſane oſtendunt quid ſit, quod convulſivi morbi nullis fere eorumdem indiciis apparentibus tam cito homines invadant, citoque ſolvantur. Novi juvenem quemdam Venetum, qui derepente, atque inter comedendum, bibendumque in tantam deglutiendi difficultatem incidebat, ut ne guttulę quidem aquę in œſophagum pateret aditus: quandoque tanta difficultate reſpirationis corripiebatur, ut ſuffocari pæne videretur. Mirum autem inter loquendum non ſemel liberatum fuiſſe feliciſſime.

VI. *Tutius eſt ægrotantem difficulter deglutire, quam difficulter reſpirare.*) Prognoſis deſumitur a magnitudine morbi, magnitudo morbi a ſymptomatum vehementia, ſymptomatum vehementia a loco inflammato, atque inflammatione plus, minus partes deglutitioni, ac reſpirationi dicatas occupante. Animal ſine reſpiratione vivere non poſſe tam nota res eſt, quam quæ notiſſima. Quod de deglutitione affirmari nullo modo poteſt. En potiſſimum, cur Angina cum difficultate reſpirationis periculoſior ſit ea, quę cum difficili deglutitione conjungitur. Nempe in illa ſuffocationis metus eſt, quod pertimeſcendum minus eſt ex difficili deglutitione. Quamdam feminam quatuor dierum ſpatio ne guttulam quidem aquę deglutire potuiſſe teſtor, cum tamen morbus ne vel tantillum quidem augeretur.

VII. *Si diſcuſſa Angina peripneumonia ſuperveniat, malum.*) Exitus Anginæ vel diſcuſſio eſt, vel ſuppuratio, vel gangræna. Diſcuſſio duobus modis poteſt contingere; vel enim materia tumorem efficiens e loco affecto dimota circulo reſtituitur, nullibi eadem decumbente, vel in aliquod viſcus transfertur, ibique decumbens illius inflammationem progignit. Angina diſcuſſa peripneumoniam ſuboriri frequentiſſime contingit: qui tranſitus periculoſiſſimus eſt. A parte enim minus nobili ad nobiliorem, ad pulmonem videlicet materia inflammatoria transfertur. Hinc timendum eſt, ne eidem tenacius impacta, vel mortem brevi inferat, vel diu morbo protracto corrumpatur, & pure in cavitatem pectoris ruente, Empyema progignat, ut præ cęteris adnotavit Hippocrates (1): *Quibus ex Angina liberatis ad pulmonem mala fit converſio, ii intra ſeptem dies moriuntur; ſi vero hos evaſerint, Empyci fiunt.*

VIII. *Ne ſuppuratio quidem omnis periculi eſt expers.*) Non poteſt ſanguis in aliqua parte diu ſubſiſtere, quin ejus componentes partes ſenſim a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, ac ſenſim ſenſimque corrumpantur. Niſi hæ dimotæ circulo redeant, vaſis quibus continentur diſruptis, effunduntur, putrefaciunt, atteruntque vaſorum eorumdem tunicas, ac ſuppurationem, abſceſſumque progignunt. Diſrupto abſceſſu periculum eſt, ne pure in bronchia, & pulmones effuſo, adnotante Cl. Foreſto (2), æger ſuffocetur. Quo apparet ſuppurationem non omni periculo vacare. Hæc fere eſt illa Anginæ ſpecies, quam ſuppuratoriam vocavit celeber. Boerhaavius, quam tanti fecit, ut ubi incipiens cognoſcatur, viam abſceſſus per artem, & remedia multa tentandam docuerit, vel per ipſam bronchotome: de qua in curatione. Magni eam fecit Cl. Van-Svvieten (3), cum tumor affectarum partium acutus ſuppurationis tempore ſępe comprimendo partes vicinas novam inflammationem adeo periculoſam excitet, ut ſuffocatio facile ſubſequatur. En ſuffocationis periculum etiamſi tumor non ſuppuretur, & pus in bronchia, & pulmones non effundatur.

IX. *Dolor ſine manifeſta cauſa remittens, pulſu interim parvo, humili &c.*) Interdum loco boni, ac laudabilis puris partis inflammatæ mors ſubſequitur, tertius modus quo exit inflammatio. Quæ dum fit, dolor improviſo ceſſat, verum omnia ſymptomata exacerbantur, pulſus nimirum fit parvus, humilis, formicans, vox catulina, faciei nigredo, rubor, & tumor partis diſparent, nec alię inflammantur, cum interim cinereus, fuſcus, lividus, & niger evadat color partis ex pallido; quę cum gangręnam protenſo quaſi digito commonſtrent, mortem quoque ipſam portendere luce clarius apparet. Hinc apte Hippocrates

(1) 5. *aph.* 10. (2) *lib.* 15. *obſ.* 24. (3) *in com. in aph.* 5. 814.

tes (1): *Anginoſi in lingua tumores abſque ſignis diſparentes pernicioſi . Et dolores diſparentes citra manifeſtam cauſam pernicioſi ſunt* . Hęc eſt alia Anginę ſpecies, quam Gangrenoſam appellavit cit. Boerhaavius , quamque læthalem pronuntiavit prędictus Van-Svvieten (2), quemcumque locum occupet, vel citius , ſi cuncta ea adſint ſigna , quorum nos meminimus , ex quibus ſphacelus & mors inflammatæ partis argui poteſt , vel ocyus propter ſeparationem mortuæ partis a viva , quæ abſque nova inflammatione , & ſequenti ſuppuratione fieri nequit , vel propter remediorum applicationem , & congrui alimenti exhibitionem , quæ obtineri nulla ratione poteſt . Caſum , quem affert de Muliere Angina laborante , cui uvulæ extremum gangręna affectum fuit , & tamen graviſſimo morbo convaluit , cum plane ſingularis ſit , & unicus , nihil , aut parum omnino tribuere poſſe certæ cuidam prognoſi conſtituendę , quam deſumi poſſe putat ex notabili faucium parte gangræneſcente, aut parvo tantum loco , in quo tale quid obſervetur , cum aliquam in poſtremo caſu ſupereſſe ſpem idem arbitretur , facile equidem judicaverim , atque in opinionem libentius iverim , gangrænam , quæ abſque prægreſſa inflammatione a depoſitione maligni humoris ad fauces oritur, illam fere eſſe , quæ curationem interdum admittit , cujuſque meminiſſe videtur Aretæus (3) de tonſillarum ulceribus agens , ubi ait : *Peſtifera ſunt lata , cava , pinguia , quodam concreto humore albo , aut livido , aut nigro ſordentia : id genus ulcera aphthæ nuncupantur . Quod ſi concreta illa ſordes altius deſcenderit , affectus ille & eſt eſchara , & vocatur . In ambitu vero eſcharæ fit rubor vehemens , & inflammatio , & venarum dolor , quemadmodum a carbunculo:* illam vero gangrænam, quæ validam faucium inflammationem ſequitur , vix medelam capere , ut laudatus vir teſtatus eſt . Multa alia prognoſtica deſumi poſſent ex Hippocrate : duo hic afferemus , quæ ad praxim ſunt commodiſſima : ſunt autem quæ trado : *Ab Angina habito ſi tumor fiat in collo , bonum ; foras enim morbus deducitur* (4): *Ab Angina habito tumor , & rubor in pectore ſuperveniens , bonum ; extra enim vertitur morbus* . Ex quibus apparet , tumores vel in collo , vel in pectore ſuperveniant ſalutares eſſe , cum peccans materies faucibus inhærens , atque inflammans dimoveatur , & ad externas partes feratur . Hoc autem loco monendi ſunt minus periti Medentes, etiamſi hanc materiæ dimotionem provide natura moliatur , non inde tamen ſubitum in deglutiendo , vel reſpirando levamen ægros percipere, cum irritatæ , demorſæ , tumentes partes æque triſti , ac moleſta ſenſatione afficiantur. Tunc vero cautos in venæ ſectione adminiſtranda eſſe decet , vel liberales antea fuerint , vel parci . Periculum enim eſt , ne repetita venæ ſectione intus delata materia , quæ provido naturæ conſilio foras vergebat , ad fauces denuo revertatur , & vel periculoſiſſimam Anginam fractis jam viribus excitet , vel ad pectus , & lethalem Peripnevmoniam progignat .

X. *Ubi inflammationis veræ ſigna appareant , nulla interpoſita mora ſanguis &c.*) Acutiſſimus morbus Angina eſt , ut non raro intra viginti quatuor horas hominem jugulet . Simul igitur ac illius indicia ſe prodant , eidem per magna remedia occurrendum eſſe nemo eſt , qui non videat. Hinc egregie Celſus (5) : *Magis tamen ignoſcendum eſt Medico parum proficienti in acutis morbis , quam in longis . Hic enim breve ſpatium eſt , intra quod ſi quod auxilium non profuit , æger extinguitur* . In Anginæ autem curatione principem obtinet locum venæ ſectio , quam licet prohibere videatur Menſium , aut Lochiorum fluxus ob ſuppreſſionis metum , aut graviditas ob metum abortus , cum tamen æger in mortis diſcrimine prope certiſſimo verſetur , niſi cito inſtituatur venæ ſectio, ad eadem minime reſpiciendum eſſe omnes fere accuratiores practici contendunt .

Ex baſilica brachii , tum ſi ſuppreſſio ſit improviſa menſium &c. ex pede.) Quo in loco inſtituenda ſit venæ ſectio lis orta . Alii ſiquidem ad impediendum novum afluxum ad affectam partem , & ad revellendum in partibus longiſſime ab affectis diſſitis inſtituendam eſſe venæ ſectionem arbitrantur , ad credendum vehementer adducti , quam minimo ſanguinis ad eaſdem irruente vaſa ſanguifera ſeſe validius , & for-

(1) *In coac. Prænot. n.* 370. (2) *In com. in aph.* 816. (3) *lib.* 1. *de cauſ. & ſig. morb. acut. cap.* 9. (4) 6. *aph.* 37. (5) *lib.* 3.

fortius contrahere, ſtagnanteſque humores ulterius propellere, atque diſcutere. Saltem hoc facto venæ ſectionem in vicinis partibus, & ad derivandum tutiſſimo celebrari poſſe exiſtimant, qua copia majore, atque impetu venientem ſanguinem ad affectam partem hęrentem in extremitatibus vaſorum dimoveant, circulo reſtituant, tumorem, obſtructionemque tollant. Nempe ad materiem alicubi hærentem dimovendam, atque abhinc prodeuntem obſtructionem tollendam non ſolum facit impetus ſanguinis, qui certe major erit ad affectam partem, ſi derivatoria, ut ajunt, phlebotomia inſtituatur, verum vis vaſorum, quibus ſanguis, humoreſque continentur, quæ niſi eoſdem in parte inflammata hærentes elatere ſuo dimovere habeant, non ſolum inutilis prorſus evadit venæ ſectio derivationis gratia, ſed ſummopere noxia. Aucto enim ad affectam partem ſanguinis motu, atque extremitatum minimorum vaſorum obſtructione remanente, tumorem, atque inflammationem augeri contingit, aut confirmari, eo prorſus modo, quo ſecta vena ſaphena pedis in valde plethoricis Mulieribus Menſes potenter ſupprimit. Vaſa autem inepta erunt ad hærentem ſanguinem dimovendum, ſi elaſticitatem ſuam, & robur amiſerint; elaſticitatem vero amittent, cum nimia ſanguinis copia ad affectam partem per phlebotomiam in vicinis partibus, & ad derivandum inſtitutam irruentis diſtenduntur nimis, diſtrahunturque, non ſecus, ac veſicæ contingit, quæ urinæ copia nimis diſtenta ad lotium expellendum impar redditur. Quo liquido conſtare arbitrantur, in inflammationibus ſatius eſſe venæ ſectionem in partibus longe ab affectis diſſitis, & ad revellendum prius inſtituere, mox vero in proximis, viciniſque ad derivandum. Recte hi quidem, niſi falſa opinione adducti venæ ſectioni in partibus longiſſime diſſitis ab affectis, & ad revellendum e. gr. in pede in anginoſis affectionibus, & in proximis viciniſque partibus ad derivandum plus tribuerent, quam par eſt. Oſtendimus ſiquidem alibi (1), ſecta vena in partibus longiſſime diſſitis a capite, nempe ſaphena, pedis minimam, ac fere inſenſibilem revulſionem fieri, moderatam in Cerebri, ejuſque membranarum morbis ſecta baſilicæ brachii, maximam omnium ſecta jugulari externa. Tunc ſolum ſectionem ſaphenæ pedis opitulari, cum ab inferioribus affluxus eſt ſanguinis ad ſuperiores partes, quod plerunque contingit ſuppreſſis naturalibus ſanguinis evacuationibus, Menſium præſertim, ac Lochiorum in Mulieribus, qui affluxus ſecta eadem vena prępediri, aut plurimum ſaltem imminui poteſt. Illud tamen hoc loco adnotandum eſt, ſecta baſilica brachii in morbis Laryngis, ac Pharyngis, omniumque partium externarum capitis, Angina ſcilicet, Ophthalmia &c. fieri quidem ab iiſdem revulſionem, non ſecus ac fit in morbis Cerebri, ejuſque membranarum, Apoplexia ſcilicet, phrenitide, & ſimilibus, minime tamen, ſi ſecentur jugulares. Cum enim baſilica brachii ſanguinem hauriat ex ramo arterię ſubclavię, ut oſtendimus loc. cit., quę proxima eſt Carotidibus, quarum externa ramos dat laryngi, pharyngi, muſculis oſſis hyoidis, omnibuſque partibus externis capitis, fit ut per arteriam ſubclaviam velocius moveatur ſanguis; cum vero velocius moveatur per hanc, tardius movetur per Carotides, & ab iiſdem revellitur ſanguis. Quod ęque affirmari non poteſt ſi ſecentur jugulares. Quinimo ſanguinem in affectas partes copia majore, atque impetu irruere contingit, ſeu quod eodem recidit, derivationem fieri revulſioni omnino contrariam. Ad cujus rei ſtatum melius intelligendum animadvertendum eſt, in Angina, aliiſque externarum partium morbis affici partes illas, unde jugularis externę ramuli exoriuntur. Cum igitur hujuſce venę truncum incidimus, ſanguis a minimis ramulis, & extremitatibus ejuſdem ad apertum locum velocius currit, & magna copia. Cum velocius & magna copia affluat ex ſecta vena, fit ut ſuccedens ſanguis ex carotide externa, quæ extremitatibus prædictæ venæ committitur, cum minorem obicem offendat, illuc liberius fluat, perque affectam partem velocius decurrat, ac majore impetu, quo impetu poterit materies in minimis ramulis ſubſiſtens, atque arteriolas obſtruens dimoveri, diſcuti, ac circulo reddi, perinde ac Saphenæ ſectio Menſes deducit, ut præ cæteris oſtendit Cl. Freind. (2) Quare ſalubre quidem cenſemus

(1) *lib.* 1. *cap.* 1. *com. in aph.* 15.

(2) *com.* 2. *de ſanguinis miſſione.*

mus practicorum consilium, qui Anginæ, & similium morborum curationem a venæ sectione revulsionis gratia instituta exordiendum esse præcipiunt, ut scilicet humorum impetu ad affectam partem jam elangueſcente, obstructio venæ sectione derivationis gratia celebrata facili negotio tolli funditus possit; iis tamen morem minime gerentes, qui in hunc finem venam longissime dissitam ab affecta parte, Saphenam scilicet pedis primum secant, & ad derivandum basilicam brachii; sed iis potissimum, qui ad revellendum basilicam brachii primum secandam imperant, tum si affluxus nimius sit sanguinis a partibus inferioribus ad superiores, Saphenam pedis, tandem ingraveſcente Angina ad derivandum jugulares tantopere commendatas & a Zacuto Lusitano (1), & a Tralliano (2), & a laudato Freind., aliisque.

Manu periti Chirurgi.) Ut turgeant jugulares venæ, atque ea ratione conspicuæ fiant, qua secari commode possint, solent plerique ligaturam ad sistendum sanguinem adhibere, quod non omnis periculi expers est. Difficultas enim respirationis ita augeri potest, ut æger in ipsa operatione suffocetur. Opus est igitur Chirurgo, qui cum dexteritate, & sine ligatura ab operatione se expediat, quem admodum Patavii me non semel vidisse testor. Quid quod a perito chirurgo non tantum innoxie, sed etiam feliciter, nec operose magis, aut periculose, quam cæteræ venæ secantur, ut notat egregie Cl. V. Renatus Moreau Medic. Parisiensis in epistola respon. ad Thomam Bartholinum Cl. V. Renatus Moreau Medic. Parisiensis in epistola respon. ad Thomam Bartholinum C. fil. de *Angina puerorum Epid.*, qui centies jugulares aperiendas curavit, cum tamen plerique vel sola cogitatione præstare exhorreſcant?

Et sublingualibus.) Utrum sublinguales venæ in Angina sint secandæ quæstio est inter Medicos. Nonnulli animadvertentes venas frontales, jugulares, raninas in Angina inflammatoria tumere, illas, ac præsertim raninas statim pertundendas esse voluerunt, rati fore ut præsentanea evacuatio in locis, partibus affectis vicinis, obtineatur. Alii e contra ad earumdem sectionem nunquam deveniendum tradunt, cum ob alias rationes, tum ob hanc potissimum, quod sanguis eadem attrahatur ad locum per se angustum, & facile suffocatio inducatur, vel quod periculum subsit, ne si satis aperiantur, parum sanguinis ex iisdem effluat, si vero lato nimis vulnere tundantur, hæmorrhagia sequatur non raro lethalis. Prioris suspicionis auctor Tulpius fere est, qui testatur (3) se aliquoties funestos eventus vidisse: alterius plerorumque Medicorum vulgaris opinio, cujus mentionem facit Hoffmannus (4), quamque egomet ipse (libens fateor) hactenus amplexus sum, ut ex aliis editionibus constat. Alii mediam tenent viam, & ad sublingualium sectionem deveniendum quidem esse existimant, sed prius venę in cubito, & talo si opus fuerit sectione celebrata. Ita se gessisse constat Galenum (5), ita Hippocratem (6), ita Trallianum (7), ita Sydenhamum (8), ita suadere Cl. Van-Svvieten (9) salubre monitum relinquentem, tutissimum esse raninas venas non aperire, nisi larga prius missio in brachio, vel in pede fuerit instituta. Hos in præsens sequimur, cum ob easdem rationes, quas pro jugularium venarum sectione adduximus, tum quod diuturnis observationibus deprehenderimus, & felicissime sectas fuisse venas sublinguales a peritis Chirurgis, & nunquam non bono ægris, atque emolumento fuisse, aut saltem non nocuisse.

XI. *Si vires debiles sint, Cucurbitulæ scharificatæ cervici, vel etiam mento &c.*) Uti venæ sectio inter initia, & viribus constantibus in Angina, cæterisque istiusmodi morbis eximiam operam præstat, ita decursu morbi, & langueſcentibus jam viribus summopere lædit. Quo loco fateor, me justis laudibus æquare non valere, quæ tradidit Hippocrates lib. 4. de ratione victus p. 56. *In omnibus morbis, præcipue in acutis, potissimumque in quibus vehementia febris subest, tempus adhibendi medicinam maximam habere facultatem*. Unde etiam Poeta:

Tem-

(1) *hist. Medic. prin. lib.* 1. *hist.* 76. (2) *lib.* 4. *cap.* 1. (3) *lib.* 1. *ob.* 51.
(4) *sect.* 2. *cap.* 4. *de Ang.* (5) *De curandi rat. per venæ sectionem cap.* 10.
(6) *De vict. ratio. in morb. acut.* (7) *lib.* 4. *cap.* 5. (8) *sect.* 6. *cap.* 7.
(9) *com. in aph. Boer.* 809.

Temporibus Medicina juvat, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Cæterum Cucurbitularum, quæ ſcarificatæ dicuntur, pulcherrima laus eſt ſalvis viribus idem fere præſtare, quod venæ ſectio. Sanguis enim, qui in cucurbitulæ ventrem exprimitur, cruſta illa in ſuperficie inflammatoria donatur, & fortaſſe majore, quam ſi ſanguis e vena educeretur, indicio ſatis manifeſto non fluidiores tantum, ac ſubtiliores, ſed fibroſas etiam, craſſioreſque ſanguinis partes educi, quæ primum extremis arteriarum finibus impactæ, atque eiſdem tenaciter adhærentes, tum in lymphatica lateralia effuſæ inflammationem progignunt. Cucurbitulis ſub mento admotis mulierem quamdam canina Angina laborantem curatam fuiſſe Zacutus Luſitanus (1) affirmavit, ut alios mittam quamplurimos, qui hoc remedii genere convaluerunt, ut Platerus (2), Amatus Luſitanus (3), Riolanus teſtati ſunt. Quod de Cucurbitulis dictum valet & de hirudinibus pone aures, & in cervice, quibus locis apponendas malunt Capivacius, & Hollerius.

XII. *Quæ dum fiunt, oleum Amygdalar. &c. cum raſura dent. Apr. s. lævig.*) Ea omnia, quæ ad ſanguinem reſolvendum in cæteris inflammationibus adhibentur, in hac quoque locum habere viſa ſunt. Cavendum autem diligentiſſime, ne moleſtiam affectis partibus inferamus, unde & tumor, & inflammatio augeatur, aut confirmetur. Id autem potiſſimum evenire poteſt propter aſperam medicamentorum ſuperficiem, quæ deglutienda ſunt. Cum enim in Angina plerunque adſit deglutitionis difficultas, vel ſi vero non adſit, juſtus ſubrepat timor, ut ſubſequatur, ab iis omnibus abſtinendum eſſe perſpicuum eſt, quæ partes ipſas irritare habent, pungere, aut alia quavis ratione afficere. Quare ſalubre eſt practicorum conſilium, pulveres Angina laborantibus exhibere liquidis unitos, quo commode, & ſine ulla moleſtia ingerantur in ſtomachum. Ita raſura dent. apr. s. lævigata, ſi cum ol. Amygdalarum Dulc. propinetur, cum ramoſis ſuis partibus obtundere habeat ejus ſpicula, laxare ſolidas partes, demulcere, oblinire, citra ullam fere moleſtiam ingeri poſſe perſpicuum eſt. Quid de emolumentis dicam, quę ex alvi lubricitate ab oleo inducta in ęgros emanant? Quo loco quæſtio occurrit inter Medicos. Nonnulli enim, cum Hippocrates docuerit, alvi ductionem cum ſanguinis miſſione inſtituendam eſſe, ut humores verſus inferiora trahantur, & evacuentur, poſtquam venæ ſectionem inſtituerint tamdiu repetitam, ſi opus fuerit, quamdiu ſymptomata remiſerint, cathartica medicamenta præſcribenda eſſe opinantur: alii urgente neceſſitate, & multo ſanguine detracto, eadem ſtatim exhibenda ſuadent. Priorem opinionem tenuit Sydenhamus (4), alteram Trallianus (5). Quamquam in ipſius purgantis delectu orta litigia. Veteres enim Medicos Elaterio, & Tithymali ſucco recenti uſos fuiſſe conſtat, quæ tamen acerrima cum ſint, & ſumme irritandi vi prędita damnata fuerunt ſucceſſu temporis, atque ea in uſum vocata, quæ leviori purgandi virtute donantur. Ita fere nuperrimis temporibus Hoffmannus, qui Mannam, & Serum lactis cum nitro antimoniato commendavit (6), ita tamen, ut ſi nihil ingeri poſſit, enema ex lacte, melle, oleo amygdal. dulc. &c. injiciatur: Ita Boerhaavius (7), qui validam alvi ſubductionem *per purgantia ore hauſta præſcripſit:* ſubdens tamen, *vel clymatum inſtar injecta, repetita*: ad ea nempe præjudicia pręcavenda, quę in inflammationis ſtatu fauces occupantis, purgantia licet leviora, minantur. Quibus potiſſimum de rebus factum eſt, ut purgantibus utcumque lenibus poſthabitis, ſolum oleum amygdalar. dulc. adhibendum crediderim, quod prętерquamquod inflammatis partibus dictis de cauſis apte ſuccurrit, vel in ipſo morbi furore alvum blande ſubducit, humoreſque alio divertit, quod apprime utile, & neceſſarium eſt, cum miteſcente morbo, ac Symptomatibus gravioribus ceſſantibus, ſolius naturę ope, atque optimo victus regimine ęger facile convaleſcat.

XIII. *Gelatina quoque Cor. Cer. uti præſtat &c. ſtib. diaphoret. &c.*) Idem plane dictum velim de ſtibio diaphoretico, aut ſimili medicamento, quod diaphoreſim promovere

(1) *in prax. admirab. lib.* 4. (2) *lib.* 2. *p.* 395. (3) *Cent.* 3. *curat.* 28.
(4) *ſect.* 6. *cap.* 7. (5) *lib.* 4. *cap.* 1. (6) *l. c.*
(7) *aph.* 5. 809.

movere a nonnullis reputatur, gelatinę Cor. Cer. unito. *A nonnullis* inquam; neque enim deſunt, qui ſtibium diaphoreticum, & ſimilia medicamenta non ſolum vi diaphoretica, ac ſanguinem humoreſque exagitandi, reſolvendique prędita eſſe negant, ſed inepta prorſus ad diaphoreſim promovendam exiſtimant. Fixum enim quoddam eſt ſtibium diaphoreticum: Omnia autem fixa parum, vel nihil exagitant. Facultatem potius ſanguinem ad diaphoreſim diſponendi ſtibio, & ſimilibus medicamentis tribuunt, ſenſim acorem, quo ſucci pręſertim primarum viarum imbibuntur, corrigendo, a quo ſanguinis denſitas, & arctior compages oriebatur. Hinc eſt, accuratioribus practicis ſolemne eſſe morborum acutorum curationem exordiri a fixis diaphoreticis, deinde validiora, ac moventia ſanguinem adhibere, quę in morborum vigore, atque impetu, dici vix poteſt, quam male cedant. Tunc porro ſatius eſt nihil moliri. Apte cadit in hunc locum illud Livii (1): *Medicos interdum plus quiete quam movendo, atque agendo perficere*; atque illud Ovidii:

Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori.

Difficiles aditus impetus omnis habet.

Aggrediar melius tunc, cum ſua vulnera tangi

Jam ſtnit, & veris vocibus aptus erit.

XIV. *Mucilagines quoque ex ſeminibus malvarum, Alth. &c.*) Sunt qui gargariſmata ad materiem hęrentem dimovendam, quocumque morbi tempore ęgris pręſcribunt. Verum mos iſte accuratioribus practicis minus probatur, commendaturque, verentibus, ne affectę partes plus ęquo commoveantur, concutianturque, unde inflammatio augeatur, aut confirmetur. Mucilagines porro ex ſeminibus malvarum, Alth. & ejuſcemodi aliis elicitę, & ad fauces dimiſſę laxando, emolliendo, demulcendo mirum in modum conferre viſę ſunt.

XV. *Progreſſu morbi gargariſmata ex aq. Malvar. hordei &c.*) Uti inter initia, incremento ſcilicet, ac vigore morbi, vaſorum turgentia, fibrarumque adſtrictio vetat, quominus gargariſmata affectas partes commoventia adhibeantur, ne inflammatio augeatur; ita progreſſu morbi, cum deplenta ſunt vaſa, fibrę parumper laxatę, atque ad vehementiores contractiones minus idoneę, cum materia obſtruens fluere incipit, ac moveri, ſunt convenientiſſima. Leniter enim ſtimulatis vaſorum tunicis, adſtrictiſque, materia eiſdem tenacius adhęrens facile loco dimoveri poteſt, quę in lymphatica effuſa in venas iterum ſeſe recipere valet ac circulo reſtitui, unde obſtructio, ortaque hinc inflammatio tollatur. Leniter vero ſtimulantia gargariſmata illa cenſentur, in quę ſal prunellę recipitur. Verum eodem pręſtantius eſſe nitrum puriſſimum facile judicaverim. Cum enim ſal prunellę nihil aliud ſit, quam nitrum, cujus pars aliqua ſulphuris vulgaris admixtione deflagravit, verendum eſt, ne volatiliori ipſius parte amiſſa, vis quoque ejuſdem infringatur plus ęquo, ac minus commode reſpondeat. Sal quoque armoniaci in parca doſi adhibitum, utpote quod neque nimium motum, neque nimiam irritationem inducit, tutiſſimum eſt medicamen, ſi quod aliud.

XVI. *Extrinſecus Cataplaſmata ex fol. malvar. pariet. &c.*) Uti medicamentis per os aſſumendis, ita externis collo applicandis morbo obviam eundum. Inter hęc Franciſcus Valleriola cataplaſma ex nidis hirundinum decoctis in oleo Chamęmel. & Lilior. ceu ſpecificum miris laudibus extollit. Ex iiſdem nidis aliud Cataplaſma conficit Dekers ad praxim Barbettianam; aliud Foreſtus in obſervationibus; aliud Amatus Luſitanus, & Platerus. Illud animadvertendum eſt tamen, non tantum iſthæc vires ſuas exercere propter nidum hirundinum, qui ſpecifice anginę opitulari creditur, quantum propter emollientia, ac laxantia c. m. ſunt Cœpæ, radices lilior. albor. alth. fol. Malvar. Violar. Parietar. ſemin. Lin. & hujuſmodi, quibus exaſperatæ partes demulcentur, humorum acrimonia temperatur, nimia vaſorum adſtrictio tollitur, unde ſanguinem facilius reddi circulo contingit, atque inflammationem tolli.

XVII. *Si Angina vera, ſuperata acutie, chronica fiat, veſicantia &c.*) Morbus acutus tunc chronicus fieri dicitur, cum tempus illud prætierierit, quo ſolvi debuiſſet. Solvi autem nequit ob aliquam latentem cauſam, quęque ſenſus noſtros omnino

(1) *lib.* 22. *cap.* 18.

mnino fugit. Rem ſi placet illuſtremus. Si ſymptomata, quæ acutum morbum comitantur, portendant, eumdem duraturum eſſe per quatuor, vel ſeptem dies, certum autem, ſtatutumque tempus elabatur, ceſſantibus calore, fervore, pulſus duritie, vehementia, aliiſque ejuſcemodi ſymptomatibus, tunc morbus dicitur acutus ex decidentia, qui nempe chronicus fit reſpectu acutiei ejuſdem vehementiſſimæ. Cur autem veſicantia in iſtiuſmodi morbis eximiam operam præſtent, haud inſolens explicatu eſt. Facit autem apprime ad phænomeni explicationem animadverſio, ſolemne eſſe practicis, Veſicantia in ophthalmia admovere, ubi poſt certum temporis intervallum, quo inflammatio mitior fieri ſolet, adhuc tumor in oculo, & rubor conſpicitur, quod quidem pendet potiſſimum non a materie hærente, quæ diſpoſita non ſit ad fluendum, ſed a vitio partis ſic laxatæ, ut nequeat ſeſe contrahere ea ratione, qua opus eſt ad eamdem impellendam, ac circulo reſtituendam. Quo quidem in caſu ſi veſicantia applicentur, hæc fere commoda ſequuntur. Primum vi ſalis cantharidum acris, ac fere urentis, craſſam, viſcidam, ac difficilem materiem ſolvi contingit, tum ſolida ipſa extimulari, & in validiores, vehementioreſque contractiones agi, hinc eamdem facilius dimoveri, ac circulo reſtitui. Cum igitur Angina acutiſſimus ſit morbus, & interdum intra viginti quatuor horas hominem jugulet, ubi per repetitas venæ ſectiones, atque alia ejuſcemodi medicamenta ſedatus fuerit nimius fervor, pulſus mollior evaſerit, tumor autem adhuc remaneat, ſeu quod eodem recidit, Angina chronica fiat reſpectu acutiei, ad veſicantia deveniendum eſt, a quibus certum levamen, nullum noxæ periculum ſperari poteſt.

XVIII. *Si ad ſuppurationem tendat tumor, eadem Cataplaſmata &c.*) Modum tutiſſimum, quo Angina ſolvi poſſit, ubi tumor ad ſuppurationem tendat, eſſe ejuſdem maturationem promovere, ea vero peracta abſceſſum pertundere, ut puri exitus detur in oris cavum, neve eo ad pectus ruente æger ſuffocetur, tradunt omnes fere accuratiores Practici: atque maturationem quidem optime promoveri per eadem Cataplaſmata, & mucilagines ex emollientibus rebus paratas, illa quidem collo, & locis ſubmaxillaribus applicata, cum immediate locis ſuppurandis admoveri non poſſint, has vero ore continuo detentas ad inflammatas partes fovendas, & illarum exſiccationem præcavendam, uno ore conveniunt. In ſola venæ ſectione adminiſtranda in ſuppurationis caſu lis orta. Alii enim in ea ſunt opinione ut credant, eo uſque dum reſolutionis ſpes aliqua affulgeat, ſanguinis miſſionem etiam ad imminens animi deliquium inſtitutam, & repetitam optime cedere; dum vero ad ſuppurationem tendit tumor, vitaliſque humorum motus ſervandus eſt, ut rite eadem procedat, minus tutam eſſe: Alii e contra ad credendum vehementer adducti, ſuppurationem fieri non poſſe, niſi hærentis materię componentes partes ſenſim a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, ac corrumpantur; dum vero hæc fiunt, acres, volatiles, ſulphureas particulas exaltatas, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſas agitationem, ejuſque furorem efficere; hinc febrem intendi, dolorem ſæviorem fieri, & ab aucto affectarum partium tumore vicinas comprimi, & novam inflammationem cieri, non ſolum venæ ſectionem perhorreſcunt, ſed pro rei neceſſitate etiam repetendam eſſe contendunt. Nos ab his ſumus in eo prę-ſertim caſu, in quo & febris, & dolor, aliaque ſymptomata ingraveſcant prędictę inflammationis argumenta prope certiſſima, quam præcavere prudentis eſt, atque reſolvere, ne ſuffocatio tandem maxime verenda ſubſequatur. Quæ dum celebratur, ea tamen prætermittenda non ſunt, quæ ſupra memoravimus cataplaſmata, fotus mucilaginoſi ad maturationem quanto ocyus fieri poteſt perficiendam, quam omni adhibita diligentia ultra nonum diem minime extendi obſervationibus compertum eſt.

Qua facta niſi ſponte diſrumpatur tumor, aut digito aut candelæ cereæ diſrumpendus ſi fieri poſſit, ſin contra, Garengeos inſtrumento &c.) Non raro ſolent ejuſmodi tumores ſponte ſua rumpi, ubi perfectiſſime matureſcant; quandoque tamen difficilius, & ſegnius, quam par eſt, dolore ſummo, deglutiendi, reſpirandi difficultate, aliiſque moleſtiis dire ęgros vexantibus. Tunc vero ſaluberrimum conſilium omnium fere Medicorum eſt, viam abſceſſus tentare per artem.

artem. Qua vero ratione, tumoris ſitus, & conditio declarabit. Si enim valde mollis ſit, & oculis apparens, ut digitis attingi queat, cum lanceolam ægri pertimeſcant, vel propria manu admota ſic eumdem compreſſiſſe, ut diſruptus ſit, & magna puris copia affluxerit non ſemel deprehendi. Si mollis ſit, at in imis faucibus reconditus, ut neque oculis cerni, neque digitis attingi poſſit, tunc per candelam ceream in imas fauces immiſſam vel a vulgaribus Chirurgis diſruptum tumorem comperi omne periculum fugientibus, ne alię partes, ęgris prę loci anguſtia, prę dolore, quem percipiunt, ſeſe inordinate moventibus, a lanceola, aut acuto illo ferramento, quod ad digitum alligatum prę-cepit Hippocrates, vulnerentur. Quamquam hodie in tanta Chirurgiæ claritate vulgari uti methodo minus deceat, cum pręſto ſit Chirurgicum inſtrumentum a viro Cl. Garengeot deſcriptum (1), & delineatum (2), quo tuto, & citra ullius noxę periculum perfici queat operatio. Ubi peritus adſit Chirurgus, qui in promptu illud habeat, cur non adhibeamus, quod promptiſſime, & tutiſſime ęgris opitulatur, nihil omnino ſuppetit.

XIX. *In Angina ſuffocativa Laryngotomia inſtituenda.*) Quęri a Medicis poteſt, utrum in abſceſſu in faucibus nato, qui eo uſque increverit, ut ſuffocationem impedito aeris ingreſſu minetur, quique adhuc immaturus ſcindi nequit, Laryngotomia inſtituenda ſit, ſeu ut alii malunt Bronchiotomia, ut inſtituendam omnes fere uno ore conſentiunt in Angina ſuffocativa citra abſceſſum. Quibus quidem ſatis apte reſponderi poſſe videtur, inſignem Chirurgum la Motte obſervationibus triginta quinque annorum ſpatio inſtitutis in quamplurimis ægris hoc morbo laborantibus, neminem comperiſſe, qui hac de cauſa perierit (3); quod plane evincit, abſceſſum faucium inflammationi ſupervenientem etiamſi gravioribus ſtipatum ſymptomatibus, ejuſmodi tamen inducias ferre, ut citra vitę diſcrimen ad maturationem perduci queat, venę pręſertim ſectione opportune in primo inflammationis ſtadio inſtituta, & in altero ſuppurationis, ut antea dictum eſt, urgente neceſſitate, repetita. Solum igitur in Angina ſuffocativa proprie dicta locum habere videtur, ſeu ut ait Boerhaavius (4), ſtrangulante. Quo loco quęſtio occurrit inter Veteres Medicos ſatis clara. Si enim Hippocratem conſulimus, hanc eximiam operationem ignoraſſe quidem conſtat; illud tamen molitum fuiſſe, ut aer libere in pulmones ingredi poſſet, manifeſtum eſt, dum *fiſtulas in fauces ad maxillas intrudendas eſſe, quo ſpiritus in pulmonem trahatur*, docuit (5). Cognoviſſe penitus arterię diviſuram, quę Laryngotomia vocatur, Veteres fere Medicos, ex Aſclepiade colligi poſſe, qui eam a Veteribus probatam commendavit, teſtatus eſt Cęlius Aurelianus (6), quam tamen ipſe altiori voce damnavit, & e medio tollere quantum ei licuit conatus eſt; damnavit Aretęus, atque cum ob alias rationes, tum ob hanc potiſſimum ejiciendam tradidit, quod inflammatio a vulnere inflicto augeri queat ea ratione, qua nulla ſalutis ſpes relinquatur. Verum enimvero nihil omnino verentes, qui ſucceſſu temporis floruerunt eximii viri, ſi caute operatio inſtituatur, illud eſſe remedii genus haud dubie affirmarunt, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperandum, ab hoc uno remedii genere ſperari jure merito poſſe confidant. Quid enim ſi in parte inferiori loco inflammato inſtituatur, & iis abſentibus ſignis, quę mortem in limine pronuntient, quo caſu ſupervacaneam eſſe operationem perſpicuum eſt? Aretęi metus, ſectę arterię labia nunquam poſſe coaleſcere, ridiculus eſt, cum vulnus inter binos annulos cartilagineos aſperę arterię abſque illorum lęſione inſtituatur. Prętерquamquod innumeris fere obſervationibus conſtat, in vulneribus aſperę arterię inflictis annulos illos cartilagineos ſępius diſlectos, & cartilagines ipſas unitas iterum, atque conſolidatas fuiſſe, ut in commentariis Academię Regię Chirurgicę videre eſt (7). Sed cur hac in re diutius immoremur, quam cum rite inſtitutam tutum eſſe, atque ſummum artis prę-

dium

(1) *Nouveau Traitè des Inſtrumens de Chirurgie. Tom.* 1. *p.* 317.
(2) *Ibid. pag.* 33. (3) *Traitè complet de Chirurgie tom.* 1. *pag.* 193.
(4) *aph.* 812. (5) *De morb. lib.* 3. *cap.* 10.
(6) *Acut. morb. lib.* 3. *cap.* 4.
(7) *Tom.* I. *pag.* 576. *&c.*

dium ratio evincit, tum graviſſimi cum Veteres, tum Recentiores Chirurgi ſic confirmarunt, ut nullus ambigendi locus relinquatur? Inter Veteres Ægynetam (1) appello ex Antillo, Aquapendentem (2), qui eam deſcripſerunt: inter Recentiores Cl. virum Renat. Moreau (3), Barbette (4), Georgium Martinium (5), Garengeot (6), Heiſterum (7) alioſque maxime nobiles Chirurgos, qui & deſcripſerunt accuratiſſime operationem, & cum ſucceſſu inſtituerunt, qui propterea conſulendi.

CAPUT II.

De Hæmoptyſi.

I. *QUotieſcumque ſanguis per os cum tuſſi plus minus violenta, & profunda, reſpiratione nonnihil difficili, ardoris, punctionis, vel quaſi rupturæ, & divulſionis ſenſu ſpumoſus, & floridus ejicitur, e pulmonibus ejici eumdem cenſendum eſt.*

II. *Cauſæ proximæ ſunt* 1. *ſanguinis e vaſis ſanguiferis pulmonum in lateralia lymphatica irruptio, & eorumdem apertio.* 2. *vaſculorum ſanguiferorum diviſio, & ſoluta unitas.* 3. *eorumdem ruptura.* 4. *eroſio.*

III. *Cauſæ remotæ internæ ſunt vaſorum pulmonalium nimis tenella ſtructura, convulſio, plethora ad vaſa vera, & ad vaſa apparens, motus nimis velox per vaſa univerſi corporis, ejuſdem nimis tardus, aut plane conſiſtens in particulari parte corporis, vel in ipſis pulmonibus, ſanguinis acrimonia inſignis.*

IV. *Antecedentes, & externæ ſunt ætas junior, temperamentum gracile, collum oblongum, ſcapulę anguſtę, & depreſſę, incolatus locorum frigidorum, ortus ex parentibus ſimili morbo obnoxiis, ſuppreſſio conſuetarum evacuationum ex naribus, utero, hæmorrhoidibus, inſenſibilis perſpirationis, miſſa conſuetudo mittendi ſanguinem in plethoricis, abuſus vini, & liquorum ſpirituoſorum, abuſus calidorum, aromaticorum, violenti motus, atque exercitationes, nimis alta vociferatio, Scabiei, Eryſipelatis, Variolarum, morbillorum, ulcerum, tumorum retropulſio, ſcorbutus, vulnera penetrantia thoracem, & alia hujuſmodi.*

V. *Nulla hæmorrhagia tanti facienda eſt, quanti illa quę fit e pulmonibus.*

VI. *Peſſima certe, quæ corpora graciliora, collum oblongum, ſcapulas anguſtas, & depreſſas habentia, in juvenili ætate conſtituta, quæ ex parentibus ſimili morbo obnoxiis naſcuntur. E contra illa, quæ ex nimis alta, & violenta vociferatione, clamore, aut aliquo vehementi motu, ſuppreſſione naturalium evacuationum, omnis fere periculi expers eſt.*

VII. *Paullo difficilior, quæ ex abuſu liquorum ſpirituoſorum, calidorumque, ex retropulſione Scabiei, Eryſipelatis, Variolarum, morbillorum, ulcerum, tumorumque naſcitur, quæ ſcorbuto ſupervenit.*

VIII. *Quo ſanguinis nimiam evacuationem cohibeam, venæ ſectionem bis, terque pro vaſorum turgentia inſtitui jubeo.*

IX. *Flor. Caſſ. r. e. ℥ vi. cum pulp. tamarindor. ℥ ii. mane ſumendas ægro præſcribo. Dein vero decoction. fol. portulac. plantag. urtic. unc. vi. nitr. purif. ℈. i. ſyrup. heder. terreſtr. unc. i. quotidie exhibeo per plures dies. Si præſto ſint ſucci earumdem plantarum, dici vix poteſt, quam bene cedant ad uncias tres quotidie aſſumpti.*

X. *Emulſiones quoque ex ſemin. quat. frigidor. unc. i. .s. papaver. alb. ℥ ii. in aq. plantag. portulac. vel ſimili mirum in modum conferre viſæ ſunt.*

XI. *Hiſce fruſtra adhibitis fungo melitenſi pul. a ℈ i. ad ℥ s. ex juſculo foliis bellidis minoris alterato cum ſyrup. de roſ. ſic. unc. i. bis in die uti expedit.*

XII. *Electuarium quoque ex ſemin. papav. alb. ℥ ii. ter. ſigillat. coral. rubror. a ℥ i. ſacchar. roſat. unc. i., ad ℥ ii. duas exhibitum eximiam operam præſtat.*

XIII. *Specifica vix, ac ne vix quidem locum*

(1) *lib. 6. cap. 33.* (2) *De Chirurgicis operationibus cap. 44.*
(3) *Epiſt. reſponſor. ad Thom. Bartholinum Caſp. fil. de angina epid.*
(4) *Chir. p. 498* (5) *Philoſ. Tranſact. Abrigement. v. 7.*
(6) *Traitè des operations de Chirurg. Tom. 2.*
(7) *Inſtitut. Chirurg. P. 2. ſect. 3. cap. 99.*

locum habent, nisi remota fuerit morbi causa.

XIV. Jusculа extremitatum pedum vituli, & in gelatinam conversa cum gum. arabic. tragacant. continuo sunt usurpanda. A rebus calidis, & a vino abstineat æger, motibus violentis animi, & corporis, a vociferatione alta, ac clamoribus.

XV. Post sanguinem sistentia, præsertim si remaneat levis quædam tussicula, et difficultas respirationis, febricula, et cruentum sputum recrudescat, sequens destillatum propinetur. ℞. ser. lact. Caprin. vel Vaccin. Lib. xx. fol. heder. terrestr. veron. fl. hypperic. Consolid. minor. polig. a M. i. Caudar. cancror. cum suis cortic. contus. pulp. ranar. a Lib. i. s. Jujubar. a nucleo separat. Lib. i. M. f. s. a. destillatio in B. M. et detur ad unc. x. quotidie. Hujusce loco sequens decoctum exhibeatur.

℞. Radic. chin. ℥ ii. ebor. cor. cer. ras. a ℥ i. Hord. mund. ℥ ii. semin. melon. cucurb. a unc. i. flor. hyperic. M. i. Car. vitul. unc. iii. ranar. excortic. caudar. cancror. a unc. i. Aq. font. Lib. i. m. in vase vitreo circulatorio bene clauso in B. M. s. a. f. ebul. usque ad consumption. tertiæ partis col. detur quotidie per xxx. dies.

XVI. Æstivo tempore aquæ nocerianæ summe conveniunt incipiendo a lib. ii. augendo dosim usque ad lib. iv. circiter non ultra.

XVII. Tandem diæta lactea, vel semilactea imperanda.

CAPUT II.

De Hæmoptysi.

I. *Quotiescumque sanguis per os cum tussi plus minus violenta &c.*) Plures sunt partes, ex quibus sputum sanguinis ortum traducere potest. Ex capite, gingivis, glandulis palatinis, ac totius oris cavitatibus, ex pharynge, ventriculo, larynge, bronchiis, vesiculis pulmonalibus. Ut vero cognoscatur, quo ex loco sanguis fundatur, ad ea, quæ sanguinis sputum antecedunt, ad rejectionis modum, & rejecti sputi conditionem attendendum est. Si dolor capitis præcesserit, aurium tinnitus, venarum frontis elatio, rubor genarum, & faciei totius, & sputum sanguinis atri, congrumatique cum screatu, titillationis, & caloris sensu in palato, qualis ex catarrho solet contingere, superveniat cum symptomatum levamine, e capite profluere sanguinem censendum est. Si levi expuitione sanguis saliva dilutus ejiciatur, ex gingivis, glanduliſque oris, & faucium erumpere pro certo habendum. Non potest enim sanguis ex dictis glandulis effundi, quin humor etiam salivalis copiose effundatur, unde saliva dilutus apparet, id quod Scorbuticis non raro contingere manifestum est. Si per vomitum ejiciatur, ex ventriculo provenire dubitandum non est; si vero per tussim, quæ tamen levis sit, non profunda, aut per screatum, ex trachea, viciniſque locis. Ubi enim ex trachea ejicitur sanguis, irritat ejusdem nerveas fibrillas, & in convulsionem agit, quæ deinceps bronchiis, membranis, & musculis ad respirationem facientibus communicata tussim excitat, levem tamen, nec profundam. Quod diligenter tenendum est. Tussis enim inseparabilis comes est sanguinis sputi e pulmonibus, sed hoc discrimine, quod violenta isthæc est, ac profunda. Quamquam si sola tussis considereretur, in fraudem facile induci possunt medentes, cum hæ differentiæ non raro imponant. Dum igitur e pulmonibus exit sanguis, non solum cum tussi violenta, & profunda ejicitur, sed sanguis ipse floridus est, & admixto aere spumosus. Et licet ibidem subsistens aut acidos liquores offendens, ater, concretusque evadere possit, unde suspicari fas sit, ex capite, aut aliis partibus exire; si tamen ad respirationem attendatur, quæ propterea difficilis sit, cum ardoris, punctionis, vel quasi rupturæ, & divulsionis sensu, ex pulmone erumpere sanguinem certo certius habendum. Quibus apparet, signa, quæ solent sputum sanguinis e pulmonibus comitari, singillatim accepta minus tuta esse, ideoque conjunctim esse perpendenda, ut nullus suspicioni locus relinquatur.

II. *Causæ proximæ sunt* 1. *sanguinis e vasis sanguiferis pulmonum in lateralia lymphatica irruptio &c.*) Quinque modis sanguinem e propriis vasis effundi posse communiter reputatur. Primum modum Anastomosim, ideſt extremorum osculorum cum venularum, tum arteriolarum apertionem vocarunt Veteres fere Medici; alterum diæresim, seu divisionem, & solutam unitatem: tertium diapidisim, seu rarefactionem canalium, qua fit, ut sanguis ex eorum-

ramdem tunicis quaſi tranſcolatus tranſudet: quartum rixim ſive rupturam: quintum diabroſim, quod eroſionem ſonat. Utrum detur Anaſtomoſis inter Recentiores Medicos controverſum eſt. Nonnulli enim certiſſimis obſervationibus Anatomicorum edocti, quibus compertum eſt, extremorum canaliculorum oſcula, venaſque, & arteriolas continuas eſſe, vel ſi minus continuas, oſculis certe ſuis perpetuo patentes, haud fieri poſſe putant, ut ſanguis ex extremis oſculis cum venularum, tum arteriolarum apertis erumpere poſſit, quæ fuit Veterum ſententia. Alii vero eo adducti ſunt, ut crederent, Anaſtomoſim dari poſſe, non ea quidem ratione, qua fieri Veteres tradiderunt, excuſatione cæteroquin digniſſimi, quod circulationem ſanguinis ignorabant, ſed ea fere, quam tradam. Putant nimirum, arterias, poſtquam in minimas ramificationes diſtributæ fuerint, pulſu tandem ceſſante in duplicis generis canales reflexos abire, illos quidem, qui majori diametro globulos ſanguinis recipere, qui vero anguſtiores ſunt, tenuem tantum, & fluxilem lympham ſuſcipere. Atque hanc quidem philoſophandi rationem experimenta confirmant. Flatus enim, aut argentum vivum, aut alius liquor ſiphone per arterias immiſſus non tantum per venas, ſed & per vaſa lymphatica partium tranſit, ut Cl. Nukius, & Malpighius teſtati ſunt. Hinc ſi ſanguis, qui ab arteriis in venas fluere ſecundum naturæ leges deberet, in vaſa lymphatica effundatur, hęmorrhagia, atque effuſio ſanguinis ſequetur. Cujuſce rei exemplo eſſe poteſt ſanguis, qui ex Mulieribus menſtruantibus ex utero certo, ſtatoque tempore erumpit. Quotieſcumque enim rapida circulatione ab arteriis in venas tranſmittitur, quod plerumque contingit, cum ejus copia tanta non eſt, ut latera vaſorum diſtendens, atque eorumdem extremitates occludens ſibimetipſi liberum excurſum præpediat, nulla fit ejuſdem in lymphatica vaſa effuſio, ideoque Menſes ſubſiſtunt. Si vero fiat talis ſanguinis plenitudo propter peculiarem uteri conſtitutionem ad eumdem potius, quam alia loca propulſi, ut ab arteriis in venas libere tranſmitti nequeat, lateraliter impetum faciens in vaſa lymphatica transfertur, & menſium fluxus ſequitur. Quo apparet, non ita rejiciendam eſſe Anaſtomoſim, ut fieri nullo modo poſſe affirmare liceat.

Diæreſi quid eſſe poteſt manifeſtius? Eam nimirum a ſecante, incidente, aut pungente quovis corpore oriri poſſe vel lippis æque, ac tonſoribus notum eſt plus, quam ipſorum digiti, atque ungues.

Utrum diapidiſis ſputi ſanguinis e pulmonibus cauſa eſſe poſſit, dubitari jure merito poteſt. Arduum enim atque inſolens explicatu eſt, quomodo vaſorum ſanguiferorum tunicæ ita rarefieri poſſint, ut ſanguis erumpat floridus, ſpumoſus, perinde ac ſi e vena ſecta eductus fuiſſet. Poteſt quidem ſanguis ad ſummam tenuitatem redigi, id quod ſcorbuto laborantibus ſępiſſime contingit; ad eam tamen redigi, qua e vaſorum poris una cum globulis dilabatur, non facile judicaverim. Hæmorrhagias, quæ ſcorbuto laborantibus familiares ſunt, quaſque nonnulli ad diapidiſim referunt, id ex tenuitate nimia, & fibrarum laxitate, (quæ duo in ſcorbuto deprehenduntur) arguentes, ad eroſionem potius referre maluerim, ceu quæ a ſalium acerrimorum, ac fere cauſticorum copia ortum traducit. Seroſam ſanguinis partem exprimi poſſe a vaſis ſanguiferis abſque ulla ſolutione continui experimento Richardi Lovveri (1) perbelle demonſtratur. Cum enim venam cavam vivi canis infra regionem cordis forti vinculo ligaſſet, ac mortuum canem non multo poſt ſecuiſſet, magnam ſeri copiam in Abdomine collectam haud injucundo ſpectaculo deprehendit. Alterius canis jugulares venas ligavit, qui intra duos dies quaſi Angina ſuffocatus interiit. Partes omnes ejuſdem ſupra ligaturam majorem in modum intumuerunt, ac toto hoc tempore non ſolum copioſæ lacrymæ ex ejus oculis effuſæ ſunt, ſed etiam ſaliva pleno flumine ad inſtar eorum, qui Mercurium ſumunt, profluxit. Mortuo cane aperto, muſculos omnes glandulaſque capitis ſero diſtentas obſervavit. Quo apparet, ſerum ſanguinis ob cohibitum ejuſdem motum diſtentis vaſorum tunicis tranſmitti, non rubicundam, craſſioremque partem, ideoque ſputum ſanguinis e pulmonibus ad hanc cauſam referendum non eſſe.

Rixim, ſive rupturam, & diabroſim, ſive eroſionem vaſorum pulmonalium ſputum ſanguinis progignere poſſe, manifeſtius qui-

(1) *tract. de cor. cap.* 2.

dem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

III. *Cauſæ remotæ internæ ſunt vaſorum pulmonalium nimis tenella ſtructura, convulſio &c.*) Quæcumque anaſtomoſim, vel diæreſim, rixim, ac diabroſim vaſorum pulmonalium inducere valent, eadem ſputo ſanguinis producendo opportuniſſima exiſtere perſpicuum eſt. Aliæ autem cauſæ internæ ſunt, aliæ externæ. Internæ vel a ſolidorum, vel a fluidorum vitiis deſumuntur. Ad ſolidorum vitia pertinet primum nimis tenella vaſorum pulmonalium ſtructura, qua fit, ut a levi quacumque cauſa in eadem operante ea ratione afficiantur, qua opus eſt ad hæmorrhagiam.

Ad convulſionem quod attinet, ſilentio prætereundum non eſt, celebrem fuiſſe diviſionem plethoræ in illam, quæ ad vaſa dicitur, & alteram quæ ex vaſis. Plethora quidem ad vaſa dicitur cum moles tantum ſanguinis augetur, capacitate vaſorum continentium non mutata: ex vaſis vero, cum non mutata mole ſanguinis capacitas vaſorum minuitur. Capacitas vaſorum minuitur cum eadem plus æquo conſtringuntur, quæ conſtrictio vaſorum, ſeu mavis convulſio, efficit, ut ſanguis ſegniter moveatur in extremitatibus arteriolarum, ac venularum, vel plane conſiſtat, vireſque ſuas exerceat in latera vaſorum, eademque a novo continuo affluente ſanguine plus, quam par eſt diſtendantur, diſrumpanturque, unde ſanguinis effuſio.

Plethora ad vaſa vera, & ad vaſa apparens.) Ad fluidorum vitia ſpectat plethora ad vaſa vera, quæ dictis fere de cauſis ſputum ſanguinis e pulmonibus progignit. Hoc ſolum diſcrimen intercedit, quod nimia vaſorum conſtrictione, ſeu convulſione, ac plethora ex vaſis peccante, liber ſanguinis excurſus in extremitatibus vaſorum capillarium impeditur non mutata ſanguinis mole; plethora vero ad vaſa peccante, mutata ſanguinis mole, qua fit, ut majorem cum vaſis continentibus rationem habeat, quam naturæ ordo poſtulat, ac propterea extremitates facile obſtruat, ac ſibimetipſi liberum excurſum prohibeat, unde vel in lymphatica lateralia effundatur, & anaſtomoſim, vel in latera vaſorum vehementer impingens eorumdem tunicas diſrumpat, & rixim, atque hinc ſanguinis effuſionem pariat. Moles porro ſanguinis augeri poteſt ob duas cauſas, vel quia augetur ejus materia, & moles, unde plethora ad vaſa vera proficiſcitur, vel augetur tantum ejus moles, ſanguis videlicet rarefit, & expanditur, unde plethora ad vaſa apparens enaſcitur. Hæc autem ſanguinis expanſio, ſive plethora ad vaſa apparens, qua ratione ſputum ſanguinis excitet, ex dictis adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Sanguinem nimirum plus juſto rareſcentem capillaria vaſa nimis diſtendere, eorumque extremitates anguſtantem ſibimet curſum impedire contingit, vaſa ſanguifera pulmonum diſrumpere, atque hac ratione ſanguinis effuſionem promovere.

Motus nimis velox per vaſa univerſi corporis.) Sanguis magna celeritate per vaſa univerſa fluens, cum inſignes patiatur ſuarum partium alliſiones, rarefit, atque expanditur, magna præterea vi truditur in dextrum cordis ventriculum, a dextro cordis ventriculo in arteriam pulmonalem, ac pulmones, eoſdemque infarcit, obſtruitque, a novo autem continuo affluente ſanguine diſtenſiones præternaturales vaſorum, ac diſruptiones facile ſubſequuntur, atque hæmorrhagiæ.

Ejuſdem nimis tardus, aut plane conſiſtens in particulari parte corporis, vel &c.) Quotieſcumque ſanguis in aliqua parte corporis tarde, ac ſegniter movetur, vel plane ſubſiſtit, in eas velocius currere, quæ obſtructæ non ſunt, ex legibus hydraulicis conſtat. Cum nempe ſanguis continuo motu nunquam intermiſſo moveri debeat, ne deficiente ſecretione, ac derivatione ſpirituum animalium vita periclitetur, neceſſe eſt, ut ſanguis in aliqua parte conſiſtens anſam præbeat alteri parti ſanguinis, ut in ramis arteriarum, venarumque, qui obſtructi non ſunt, majori velocitate moveatur, non ſecus ac aquæ fluminis contingit: ſi enim aliqui ejus rami obſtruantur, majore copia, & velocitate in non obſtructos exoneratur. Cum igitur velocius moveatur ſanguis, præterquamquod rareſcit, atque expanditur, unde pulmonum vaſa diſtendens nimis, atque extremitates vaſorum capillarium occludens eadem diſrumpit; accedit præterea, magna vi a ſiniſtro cordis ventriculo in arteriam pulmonalem irrumpere, unde vaſorum tunicas facilius diduci contingit, ac tandem perrumpi. Quod ſi ob-

obſtructio ſit in ipſis pulmonibus, velut cum tubercula, vomicæ in eodem latent, cum obicem offendat ſanguis in non obſtructos ramos majore velocitate, atque impetu truditur, vel plane ſubſiſtere cogitur. Utrumque autem, aut alterutrum contingat, vaſa facile perrumpi adeo manifeſtum eſt, ut probatione nullatenus indigere poſſe putem.

Sanguinis acrimonia inſignis.) Quomodo acrimonia inſignis ſanguinis ſive acida ea ſit, ſive alchalica ſputum ſanguinis excitet, facillimum explicatu eſt. Primum enim ſolidæ noſtri corporis partes punguntur, ac mordentur, inque celeres, ac fortes contractiones aguntur, unde circularem ſanguinis motum augeri contingit, ac propterea eumdem expandi majorem in modum, ac rareſcere, atque hinc præternaturales vaſorum diſtentiones, ac rupturas exoriri. Quid quod ipſa ipſiuſmet ſanguinis acrimonia tunicæ vaſorum facile exeduntur?

IV. *Antecedentes, & externæ ſunt ætas junior &c.*) Inter cauſas remotas internas a ſolidorum vitiis deſumptas recenſuimus vaſorum pulmonalium nimis tenellam ſtructuram. Tali porro ſtructura maxime donantur, qui in certa ætate ſunt conſtituti, quam Hippocrates (1) definivit a 18. uſque ad trigeſimum quintum annum; qua fibræ pulmonum nondum eam texturam adeptæ ſunt, ut fluidorum per vaſa percurrentium actioni, aut externarum cauſarum vi reſiſtere valeant. Quam mira res videtur cuique ætati ſuos eſſe morbos! Pueri nimirum, & adoleſcentes, junioreſque mulieres hæmorrhagiis, ſputo ſanguinis pulmonali, phthiſi obnoxiæ ſunt; Senes catarrhis, obſtructionibus viſcerum, hydropi, apoplexiæ, paralyſi, & ſimilibus; Juvenes, & qui in conſiſtente ſunt ætate morbis acutis, febribus ardentibus, & inflammationibus infeſtantur. Uti enim in juvenibus, & qui conſiſtente ſunt ætate magna vis, & ſuperans tonus vaſorum, ac viſcerum adeſt, a quibus dum ſanguis magno impetu movetur, atteritur, funditur, diſſolvitur, e propriis vaſis effunditur, unde morbi acuti, febres ardentes, inflammationes; & in ſenibus diſpar tonus ſolidarum partium, partim videlicet atonia, & laxitas, partim denſitas, & rigiditas peccat, unde ii morbi ſuperveniunt, qui a ſegni motu ſanguinis, infarctu viſcerum, obſtructionibus ortum ſuum traducunt: ita in pueris, & adoleſcentibus vaſa nimis mollia, & imbecilla ſunt, ut a plenitudine ſanguinis facile diſrumpantur, ab acrimonia facile exedantur, corrodanturque, unde hæmorrhagiæ.

Temperamentum gracile, collum oblongum, ſcapulæ anguſtæ &c.) Tali ſtructura donantur, qui gracile temperamentum ſortiti ſunt, qui collum oblongum, ſcapulas anguſtas, & depreſſas. Quanto enim trachea, pulmonalis vena, & arteria longiores ſunt, eo anguſtiores tenujoreſque, ideoque debiles eſſe cenſendum eſt. Hinc ſequitur, a continuo impetu impulſi ſanguinis a dextro cordis ventriculo in pulmonalem arteriam, & pulmones, & ab impetu inſpirati, & expirati aeris, facta ratione compoſita momenti ſanguinis impulſi, & aeris inſpirati, & expirati, veſiculas, fibras, ac membranas pulmonales majorem adhuc, ac maximam imbecillitatem nanciſci, unde facile diſrumpuntur, exeduntur, aut ea ratione afficiuntur, qua opus eſt ad hæmorrhagiam.

Incolatus locorum frigidorum.) Ut cuique ætati, ita etiam regioni ſui ſunt morbi, qui propterea vernaculi, & endemii dicuntur. Cum enim aer certos tonos aut laxitatis, aut adſtrictionis pro varietate climatum, & regionum vel univerſo corpori, vel peculiari parti hominum inducat, ea re fit, ut cujuſcumque regionis accolæ, atque peculiari ſub climate viventes morbis peculiaribus, & propriis infeſtentur. Nempe qui frigidos montes habitant, ſputo ſanguinis e pulmonibus ob id potiſſimum obnoxii fiunt, quod frigidi aeris inſpirati injuriis molles, ac delicatæ pulmonum fibræ facile læduntur, atque adſtringi magis, ac denſari eaſdem contingit, quam naturæ ordo poſtulat, unde ſanguis facile lenteſcit, & extremitates vaſorum capillarium occludens ſibimetipſi liberum excurſum prohibet, unde facile canalium diſruptio ſubſequitur. Huc accedit, ex frigidi aeris appulſu tranſpirationis curſum impediri, atque excrementa, recrementaque in ſanguine colligi, qui propterea ad plethoram, vel dyſcraſiam acrem diſponitur, qua teneræ vaſorum pulmonalium tunicæ facile diſrumpi, atque exedi poſſunt.

(1) 5. *aph.* 9.

Ortus ex parentibus ſimili morbo obnoxiis.) Non minus mirari ſubit, morbos eſſe quoſdam hæreditarios, qui a parentibus in filios, ab his in nepotes traducuntur. Id quod non aliunde repetendum eſſe crediderim, quam ex eo quod a parentibus vel totius corporis, vel peculiaris partis adſtrictione nimia, & rigiditate, aut laxitate, & atonia laborantibus, ſimili vitio affecti filii procreantur. Qui ſputo ſanguinis hac de cauſa corripiuntur, ob id potiſſimum corripiuntur, quod ea in illis eſt textura pulmonalium fibrarum, ac liquorum per eaſdem excurrentium, ut illa levi quacumque de cauſa diſrumpantur, ac præterfluenti ſanguini locum prębeant, hi vero eam nacti ſint acrimoniam, qua vaſorum pulmonalium parietes, ac tunicas exedere valeant, unde hæmorrhagiæ. Hac de re vid. lib. 1. cap. 8. com. in aphor. 5.

Suppreſſio conſuetarum evacuationum ex naribus, utero &c.) quæcumque vel nimiam plenitudinem ſanguinis, vel ejuſdem expanſionem promovere valeant, ejus motum accelerare, ac velocem plus quam par eſt efficere, vel acribus, pungentibus, atque erodentibus particulis replere, ea cruento ſputo remotiſſime anſam præbere, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Plenitudinem præ cæteris excitant ſuppreſſi menſes, aut hęmorrhoides: ut propterea minus mirandum ſit, quaſdam Mulieres, quibus Menſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſunt, ſingulis fere menſibus ſputo ſanguinis obnoxias fieri. Qua de re apte Proſper Alpinus (1), & Hippocrates loquuti ſunt (2).

Abuſus vini, & liquorum ſpirituoſorum, abuſus calidorum &c.) Sanguinis expanſionem nimiam, atque rarefactionem procreat abuſus liquorum ſpirituoſorum, ſulphureas videlicet, ac volatiles particulas in ſanguinem introducendo, præterea hiſce exhalantibus, craſſis, terreſtribus, acidiſque remanentibus, eumdem inertem ad motum, acidum reddendo, unde obſtructiones, diſruptioneſque vaſorum ſanguiferorum ſubſequuntur. Quid de aromaticis, acribus dicendum? Tenui nimirum, ac volatili ſulphure, quibus eadem fœta ſunt, non ſolum vaſa, ac viſcera mordentur, vellicanturque, atque in crebriores, vehementioreſque contractiones aguntur, unde ſanguis majorem in modum atteritur, funditur, expanditur, ſed etiam ipſius ſanguinis moleculæ penetrantur, dividuntur, exſolvuntur, ut tenuis, acris, atque ad erodendum aptiſſimus evadat.

Violenti motus, atque exercitationes, nimis alta vociferatio, Scabiei, Eryſipelatis &c.) Rarefaciunt ſanguinem, atque motum ejuſdem celerem, ac velocem efficiunt violenti motus, atque exercitationes cum totius corporis, tum pulmonis, quorum in cenſu veniunt nimis alta, ac violenta vociferatio, qua pulmo valde concutitur, atque exagitatur, conatus inſignes reſpirationis, ut contingit in iis, qui Muſicis inſtrumentis delectantur, tubis ſcilicet, lituis &c. Acribus tandem, pungentibus, atque erodentibus ſalibus inquinat maſſam ſanguinis Scabiei, Eryſipelatis, Variolarum, Morbillorum, aut tumorum retropulſio, unde vaſa ſanguinea exedi facile contingit, ac ſanguinem effundi.

V. *Nulla hæmorrhagia tanti faciendæ quanti illa, quæ fit e pulmonibus.*) Pleræque ſunt hæmorrhagiæ, quæ ſalutares dicuntur, velut illæ, quibus morbus, aut cauſa morbum efficiens, aut efficere potens aufertur. In harum cenſu veniunt hęmorrhagiæ, quæ in juvenibus, & fervidioribus contingunt e naribus, in viris vero, & qui in ætate conſiſtente ſunt conſtituti ex hæmorrhoidibus, quibus a ſuperfluo tantum ſanguine corpus exoneratur, (id quod præ cæteris adnotavit Cl. Stahlius) demum hęmorrhagiæ quædam criticæ, & acutos morbos non raro ſolventes. Sunt etiam non ſalutares dictæ, cujuſmodi ſunt illæ, quæ ſive ex naribus, ſive ex hęmorrhoidibus aliiſque partibus nimium protrahuntur, unde ſanguis ultra congruentem menſuram effuſus novos producit morbos, cachexias ſcilicet, hydropes, & hujuſcemodi. Sed illud animadverſione dignum eſt, hæmorrhagias, quæ ex dictis partibus contingunt, ſi pro temporis ratione, ſanguinis effuſi copia non ſint immoderatæ, nihil fere, aut parum detrimenti afferre. Ita hæmorrhoidum fluxus perdurat quandoque ad menſes citra noxam. Quamvis enim immoderata ſit evacuatio, ſi diuturnitas temporis ſpectetur, cum tamen ſenſim ſenſimque ſanguis effundatur, omnis fere periculi expers fit. Quin imo ſuppreſſis narium hæmorrhagiis

(1) *Med. meth.* (2) *lib.* 1. *de morb. ſect.* 6.

rhagiis in pueris ſtagnationes fiunt in capite, quæ Epilepſiam excitant; ſuppreſſis hæmorrhoidibus, pathemata hypocondriaca moleſtiſſima, obſtructiones viſcerum imi ventris, hydropes facile ſubſequuntur, ut paſſim ſupra laudatus Stahlius teſtatur. Quæ ne affirmari jure merito queant de ſanguinis evacuationibus ex pulmonibus, facit potiſſimum viſceris nobilitas, atque uſus. Cum enim pulmo ex meris veſiculis minimis quaſi carneis, & vaſis diverſis conflatus ſit, bronchiis ſcilicet, quæ a trachea orta primo in ramos, deinde in ramulos innumeros diviſa deſinunt in minimas illas veſiculas, pręter arteriam, & venam pulmonalem, quæ uti bronchia in innumeros ramuſculos deſinentes circa veſiculas rete vaſculoſum Malpighii efficiunt; fit ut effuſus per pulmonis ſubſtantiam ſanguis non facile penitus per bronchia (ut præ cęteris notat Cl. Hoffmannus (1), & aſperam arteriam evehatur, ſed in veſiculoſa ſubſtantia ſubſiſtens, componentibus ejus partibus ſenſim a ſe mutuo ſolutis, ſecedentibuſque, ſubtilioribus avolantibus ſenſim, ſenſimque corrumpatur, atque putreſcat, unde a ſanguinis ſputo puris ſputum, a puris ſputo tabes ſubſequatur, ut Hippocrates præ cęteris teſtatus eſt. Quod ſi mente volutaveris, pulmonem ſanguini ex dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum trajiciendo, aeri præterea excipiendo, emittendoque, inſigni videlicet reſpirationis muneri obeundo deſtinatum eſſe, unde continuo expandi, ac contrahi, dilatari, ac conſtringi debeat, diſrupta, exeſa, aut ſimili vitio affecta vaſa difficillime coaleſcere, & conſolidari poſſe manifeſtiſſima res eſt. Hinc ſequitur, hæmorrhagiam pulmonalem omnium periculoſiſſimam eſſe, ideoque quacumque de cauſa ſuperveniat ſummopere pertimeſcendam.

VI. *Peſſima certe, quæ corpora graciliora, collum oblongum, ſcapulas anguſtas &c.*) Quamquam vero plus minus periculoſa hęmorrhagia cenſenda eſt pro diverſitate cauſarum, a quibus ortum ſuum traducit. Vel enim diſpoſitio quædam eſt ad hæmoptyſim ex parte ſubjecti, temperamenti ejuſdem, ætatis, unde hęmoptyſis habitualis dicta, nulla pręcedente manifeſta cauſa, exoritur: vel nulla pręexiſtente diſpoſitione, a cauſis extrinſecus advenientibus, ſuppreſſione videlicet conſuetarum evacuationum, a nimis alta, & violenta vociferatione, clamore, aut vehementi aliquo motu producitur, quæ propterea accidentalis appellatur. Si primum contigerit, raro morbus curari poteſt, imo plerunque in puris ſputum, & tabem deſinit. Sin alterum, remotis cauſis, quę cruentæ excretioni impetum dederant, recta vitę, victuſque ratione feliciſſime profligatur. Cum enim ab hiſce cauſis exoritur ſputum cruentum, ob rupturam, ob vaſorum ſciſſionem contingit; cum autem partes ruptę, aut ſciſſę ſint, in ſuis extremitatibus adhuc integrę ſervantur, ideoque depletis vaſis coaleſcere, ac conſolidari facile poſſunt. In iis, quibus ſuppreſſi ſunt menſes, cruentum ſputum omnis fere periculi expers eſſe facit potiſſimum ea ratio, quia a plenitudine ſanguinis exoritur, qua remota nimiam quoque vaſorum diſtentionem tolli contingit, atque abhinc prodeuntem ſanguinis effuſionem ſiſti. Neque novum eſt, ſanguinem a menſium regurgitatione ex inſuetis locis critice excerni. Ita Horſtius (2) ex auribus, & Hollerius (3), & Jo. Rhodius (4) ex gingivis, ex dentis alveo critice excretum hac de cauſa teſtantur.

VII. *Paullo difficilior, quæ ex abuſu liquorum ſpirituoſorum, calidorumque &c.*) Quam apte Veteres plenitudinem in ſolitariam, & comitatam diſtinxere! Solitariam illam appellarunt, quę fit ſine ullo ſanguinis vitio in qualitate; comitatam vero, quę cum cacochymia, ſeu vitiata ſanguinis craſi conjungitur; unde non dięreſis, ſeu diviſio, & ſoluta unitas vaſorum pulmonalium, non rhixis, ſeu ruptura, nec anaſtomoſis, ſed diabroſis, nempe eroſio contingit. Hinc pręterquamquod difficillime eroſa vaſa conſolidantur, ſiquidem abraſę, exeſę cum ſint in ſuis extremitatibus difficillime elongari poſſunt, quod apprime neceſſarium eſt, ut coaleſcant, atque conſolidentur aperta vaſa, accedit pręterea, vel ſi coaleſcant remanere adhuc vitiatam ſanguinis craſim, quę vix ullo remedii genere corrigi poteſt, ut pręclare adnotavit Cl. Mortonus. Cum igitur ſanguinis craſim vitiare valeant abuſus liquorum ſpirituoſorum, calidorumque, ſcabiei, ulcerum, her-

(1) *M. S. T. 4. p. 2. cap. 2. ſect. 14.*
(2) *in præfat. ad p. 2. obſ. Schenkii lib. 4.*
(3) *com. in lib. 2. ſect. 2. Ccacar. ſ. 18.*
(4) *cent. 3. obſ. 51.*

herpetum tumorumque retropulsio, & alia ejuscemodi, sputum cruentum, quod a prędictis causis enascitur, periculosum esse, adeo manifesta res est, ut manifestior sit nulla.

VIII. *Quo sanguinis nimiam evacuationem cohibeam, venæ sectionem bis terque &c.*) Ut cæterarum hæmorrhagiarum, ita sputi sanguinis e pulmonibus duplex curatio est. Altera in ipso paroxysmo, seu sanguinis excretione urgente, altera extra paroxysmum ad præservandum. Inter remedia, quę in paroxysmo sanguinem sistere valent, venæ sectio omnium fere accuratiorum practicorum consensu principem obtinet locum. Non solum enim sanguinis plenitudo, qua vasa disrumpuntur, venę sectione tollitur, sed etiam motus ejus a parte, unde fluit, avertitur. Plenitudo sanguinis, ut supra ostendimus, vel absoluta est, & vera, aut relativa, & apparens. Absoluta, & vera, si re ipsa multus sanguis in arteriis, & venis existat, apparens, si orgasmo nimium rarescat, atque expandatur. Illam omnium utilissime venæ sectionem tollere, extra omnem dubitationis aleam est positum. *Omnium*, inquam, *utilissime*: non solum enim tutissime, sed promptissime omnium remediorum, quæ nota sunt Medicis, materiam sanguinis minuit. Tutior est evacuantibus per emissaria naturalia, atque arte excitata; siquidem hæc nerveas fibrillas extimulando, atque sanguinem exagitando vasa magis disrumpere valent. Tutior est exercitationibus, ac motibus; siquidem dum circulationem sanguinis accelerant, ejusdem orgasmum, ac rarescentiam progignunt, hinc disruptionis vasorum promptius periculum. Promptior, & tutior est inedia. Si enim opus sit libras duas sanguinis detrahere, altero minuto secundo per sectam venam commodissime detrahi manifesta res est. Si eamdem sanguinis quantitatem per inediam minuere velis, vix duodecim horarum spatio eamdem minuas. Viginti enim quatuor horarum spatio vix quatuor libras sanguinis minui experimentis Cl. Sanctorii compertum est. Per duodecim igitur horas vix duas libras sanguinis decedere tam nota res est, quam quæ notissima.

Plenitudinem apparentem venę sectione tolli non adeo evidens esse plerique putant, ut nullus dubitandi locus relinquatur. Cum enim detractione sanguinis vires motrices cordis, & arteriarum, quę a nimia expansione, atque rarescentia infirmabantur (ut in elasticis contingit, quę nimium distracta ad sese restituendum fiunt ineptiora) expeditiores reddantur, validius etiam sanguinem impellere, atque ejus circularem motum accelerare valeant, hinc sulphureis, tenuioribusque particulis exaltatis, fundi, atque exsolvi eumdem contingit, magis, magisque rarescere, atque expandi, atque morbum augeri, aut confirmari. Hæc fere qui venę sectionem in orgasmo, ac rarescentia instituendam esse negant. Verum si ad examen sedulo pro ingenii modulo revocentur alii effectus, qui venę sectionem sequuntur, nullus dubito, quin hac opinione relicta, in alteram illorum, qui venæ sectionem in orgasmo sanguinis prestantissimum si quod aliud auxilium prætendunt, pedibus iturus sis. Ecquis porro est, qui non videat, imminuta sanguinis copia partes ejusdem amplius in vasis spatium adeptas, non ita se mutuo premere, uti prius, non ita pressas, atque elisas calorem, fervoremque non ita magnum procreare, atque abhinc prodeuntem orgasmum, atque effervescentiam temperari? Quamquam licet orgasmum non tollat venę sectio, id quod facile contingit in iis, qui sanguine pertenui (ut sunt biliosi) prędiți sunt, quia licet ictus ejus partium inter se rariores, & debiliores sint, sunt tamen fortiores, & crebriores in latera vasorum, unde sulphureas, tenujoresque partes, quæ in biliosis abundant, facile exsolvi contingit, ac sanguinem incalescere, & expandi; si venę sectio efficere valeat, ut sanguis ad certam aliquam partem potius, quam ad aliam determinetur, ac propterea si nimium fluat ad pectus, atque e pulmonibus erumpat, possit vena secta ab iisdem averti, nihil est sane, cur venę sectio quam citissime in sputo cruento non celebretur. Ecquis autem est rei medicæ adeo ignarus, cui præclara hęc phlebotomiæ emolumenta tam nota non sint, quam quę notissima? Enimvero dum e secta vena, puta basilica brachii, prosilit sanguis, succedentem sanguinem, atque presertim qui per axillarem arteriam advehitur, minus in suo motu impediri manifestum est; hinc sanguis equabiliter quaquaversum e corde propulsus, cum minorem obicem offendat ad eam partem, quam

ad

ad reliquas, ad illam rapidiori circulatione trajicitur; atque hinc ſanguinis excretio e pulmonibus, ſaltem per aliquod tempus, quo tempore poterunt alia congrua, & opportuna medicamenta adhiberi, cohibetur.

IX. *Fl. Caſ. r. e.* ℥ *vi. cum pulp. tamarindor. &c.*) Non minus proficua ad revellendum cenſentur, quæ purgandi facultate pollent. Verum, ſi quid ſentio, iſtiuſmodi medicamentis corpora hęmoptoicorum vix exagitanda traderem, ceu quæ nervoſum genus extimulando, majus periculum diſruptionis vaſorum inferunt. Quare ſi opus ſit alvum ſubducere, uti pręſtat ſolum lenientibus, & quę cum ad humores biliоſos evacuandos, & ex maſſa ſanguinea prę-cipitandos, tum ejuſdem efferveſcentię compeſcendę ſunt opportuna. Inter hæc præſtant Tamarindi, atque ex ipſis extracta pulpa, qui ſuavi acore, quo ſunt prędiți, prędictis muneribus obeundis opportuniſſimi exiſtunt.

Dein vero decoction. fol. portulac. &c. nitr. puriſ. &c.) Ad ſanguinem in ipſo paroxyſmo ſupprimendum pręter avertentia, ea in uſum eſſe vocanda neminem latet, quę pravam ſanguinis conſtitutionem corrigere, atque vaſorum orificia claudere valent. Pro varia igitur ſanguinis conſtitutione, ac vaſorum ſanguiferorum lęſione, varianda eſſe medicamenta manifeſtum eſt. Adeſt plerunque orgaſmus, atque efferveſcentia ſanguinis. Ea igitur quę eamdem temperare valent, locum habere etiam me tacente facile omnes vident. Nitrata omnium ſunt præſtantiſſima. Pulcherrima enim illorum laus eſt non ſolum ſanguinis motum compeſcere, fervoremque temperare, quod dici vix poteſt quantum ad blandam ſanguinis motus retardationem efficiendam, atque abhinc prodeuntem ſanguinis evacuationem ſiſtendam valeat, ſed blandiſſime attenuando congeſtiones ejuſdem auferre, ęquabilem circulationem, atque inde conſequentem ſecretionem ſeroſi laticis per renes in morbis pectoris tantopere exoptandam, promovere. Quo loco minus mirari ſubit, frequentiſſimo in uſu fuiſſe feliciſſimo practico Riverio, ac mira de ejuſdem virtute, atque efficacia ad compeſcendas hęmorrhagias in ipſius ſcriptis inveniri. Cl. quoque Mynſicht nitri uſum mirifice extollit, ut liquet ex pluribus iiſque eximiis compoſitionibus, quę extant in Armamentario ejuſdem chymico, in quibus nitrum baſim conſtituit.

Nitroſis particulis fętę ſunt noſtrates quędam plantę non ab orientalibus plagis, ac peregrinis regionibus ad nos magnis impenſis advectę, quarum nulla alia pulchrior laus eſt, quam ut majori gloria ſanent, portulaca ſcilicet, urtica, & hujuſmodi, quæ ad nimium fervorem, motumque humorum compeſcendum, atque abhinc prodeuntem ſanguinis excretionem cohibendam aptiſſimę exiſtunt.

X. *Emulſiones quoque ex ſem. quat. frigidor. unc. i. .s. papaver. alb. &c.*) Inſignem prę cæteris ad quaſcumque hęmorrhagias ſiſtendas facultatem ineſſe opiatis, quatenus & irritationes, & ſpirituum impetum ſedant, docuit Etmullerus. Verum in cruento ſputo vix locum habere, & exitus ipſe declarat, & ratio ab experimentis ducta confirmat. Nempe obſervationibus compertum eſt, ſolidis partibus per opiata medicamenta nimis debilitatis, & conſequenter laxata nimis pulmonum compage, imparique reddita ad ſanguinem e diſruptis vaſis effuſum per tuſſim ejiciendum, congeſtiones, atque hinc abſceſſus, ulcera, puris ſputum, ac tabem ſubſequutam fuiſſe. Prętерea experimentis Jo. Antonii Stancarii (1) deprehenſum eſt, opiatis ſanguini e vena extracto affuſis, magnam ſeri copiam a ſanguine ſecretam apparuiſſe, eamque pęne totam in gelatinam concreviſſe inſtar cornu cervi, vel etiam concreti illius, quod in ſanguine illorum, qui pleuritide affecti ſunt, ſolet obſervari, ejuſque ſuperficiem membrana quaſi quadam obductam, quę cultri anatomici vel acutiſſimi aciem fugiebat: cum interim eodem ſanguine in altero vaſe conſervato abſque ullius corporis admixtione, nihil horum accidiſſe obſervaverit. Quę quidem omnia protenſo quaſi digito commoſtrant, opiata medicamenta inſignem mutationem in ſanguinem inducere, eumque majorem in modum cogere, figere, ac condenſare, unde congeſtiones ſubſequuntur, quę phthiſim valent procreare. Quare ſi irritationes, ac ſpirituum impetus ſedandi ſint, iis uti expedit, quæ anodyna potius facultate donantur, inter quæ eminent ſemina papaver. alb.

(1) *Comment. Inſtit. Scient. Academ. Bonon.*

alb. & ex iis paratę emulſiones in aquis refrigerantibus dictis, quęque ad ſanguinis efferveſcentiam compeſcendam ſunt opportuna.

XI. *Hiſce fruſtra adhibitis, fungo meliten.*) Quęvis ſanguinis evacuatio dupliciter conſideranda eſt, vel ut levis, vel ut vehemens, & immodica. Si levis fuerit, ſola nitrata, ac papaveracea ſufficere ad eamdem ſiſtendam viſa ſunt. Si immodica, ad validiora ſanguinem ſupprimentia confugiendum eſt. Quamplurima a magnis, doctiſque Auctoribus in eum finem commendantur. Atque in his quidem maxime illuſtria ſunt alumen, vitriolum, & ex his compoſita. Ex vitriolo quidem ol. vitriol. ſpirit. ejuſdem, colcothar vitrioli, ſeu caput mortuum, quod remanet ex vitriolo dulci. Ex alumine, ſpiritus ejuſdem, ſpecificum Helvetii, quod ex alumine, & ſanguine Draconis paratur, aqua ſtiptica Lemery, quæ pro baſi agnoſcit colcothar vitrioli, & alumen, ut mittam liquorem ſtipticum Barkauſen, aut illum Wedelii, aliaque ejuſcemodi. Quę tamen vix, ac ne vix quidem locum habent in ſputo cruento pulmonari. Cui enim pulmones contrahi continuo, diſtrahique debeant, comprimi, atque expandi, flexiles ſint oportet, quæ flexilitas ſi uſu adſtringentium tollatur, ſeri & lymphæ ſtagnationes facile contingunt, hinc tubercula, abſceſſus, puris ſputum, ac tabes. Huc accedit, medicamenta deſumpta ex vitriolo, & alumine magnam in ſanguinem mutationem inducere, ut liquet ex aluminis, & vitrioli affuſione ſanguini e vena extracto, quem majorem in modum denſare, figere, & in grumos cogere expertus eſt ſupra cit. Stancarius, unde graviſſima incommoda in ęgrum emanare poſſunt. Nihil porro mali verendum ex mitioribus, quæque intus ſumpta nullam in ſanguinem mutationem inducere valent. In horum cenſu venit Fungus Melitenſis, quem tutiſſimum ęque, atque efficaciſſimum eſſe ad ſanguinem ſupprimendum obſervationibus accuratiorum practicorum compertum eſt. Quid quod vix ac ne vix quidem craſim ſanguinis mutare valet? Nempe affuſus ſanguini e vena extracto nihil effecit, ut ſimilis illi ſanguis non videretur, qui ſine ulla admixtione fuerat conſervatus, cum ex affuſione vitrioli, aluminis, & ſimilium mutationes inducte ſint quam maximę, ut Cl. Stancarius teſtatus eſt.

Ex juſculo foliis Bellidis minoris alterato.) Quamvis Fungus Melitenſis, atque alia ejuſcemodi ſanguinem ſupprimentia nullam fere alterationem in ſanguinem inducere valeant ipſum cogendo, figendoque; ſalubre tamen practicorum conſilium ea ſimul adhibere, quæ grumos ſanguinis diſſolvere habent, ac diſcutere, qui ſponte fiunt, ne corruptus phthiſim excitet. Bellidis minoris efficaciam ad grumoſum ſanguinem diſſolvendum, & diſcutiendum ſive ex caſu, ſive ex vulnere, ſive ex contuſione qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam, ut notat Cl. Etmullerus. Tenuibus nempe, quibus ſcatet particulis, ſanguineam maſſam ſpiſſiorem diſſolvit, attenuat, & fibrarum tonum reſtituit. Quo loco minus mirari ſubit, inter antipleuritica ad ſanguinem fere coagulatum reſolvendum ab Helmontio commendari. Quid quod nullum præſtantius inveniri datum eſt medicamen ad vulnera curanda, ut monet Jacob. Cornutus (1)? ut mittam quod refert Emmanuel Konig Medicus Baſileenſis (2), vulnus thoracis, cum lęſione pulmonum, uſu decocti bellidis minoris ſanatum fuiſſe, quodque de mira ejuſdem virtute adverſus phthiſim Rajus teſtatur.

XII. *Electuarium quoque ex ſemin. papav. alb. ℥ ii. ter. ſigillat. coral. rubr. &c.*) Simili fere virtute donantur terręſigillatę, ac corallia, quęque blando quodam glutine conſolidant, ſimulque demulcent, inter quæ eminet ſaccharum roſatum, & ex his compoſitum electuarium additione ſemin. papaveris, illi perſimile, quo Helidæus de Paduanis ſputa ſanguinis incantamenti adinſtar ſuppreſſa vidiſſe teſtatus eſt. Recipiebat præclarus Auctor in electuarium ſemina hyoſciami, quibus irritationes, & ſpirituum impetus ſedandi facultas ineſſe reputatur. Verum, ut alibi oſtendimus, omnes ejus partes homini ſunt infeſtiſſimæ, aut mentis alienationes, aut ſenſuum torpores inducendo. Ita medicina quadam, quę ſeminis hyoſciami haud exiguam portionem habebat, liberalius ex injuria aſſumpta, hęmoptycum aliquot dies vigilantem, omniſque memoriæ, & ſenſus expertem fuiſſe teſtatur Frid. Hoffmannus (3). Quæ res

(1) *in hiſt. plantar. Canad.* (2) *Regn. veget.* (3) *M. S. T. 2. de ven. ſoporif.*

res potissimum effecerunt, ut internus illius usus apud accuratiores practicos obsoleverit.

XIII. *Specifica vix, ac ne vix quidem locum habent &c.*) Quamplurima sunt remedia, quæ specifica virtute ad hęmorrhagias sistendas commendantur a Scriptoribus magnis, & doctis. Cum Medicinam addiscerem, quemdam novi cæteroquin fortunatissimum Medicum, qui in omni fere morbo specifica ahibebat. Induxi in animum, ea, ubi res, & occasio ferret, experiri velle. Mirum dictu nullum unquam, nescio quo fato, deprehendere potuisse, quod votis responderet. Quod cum sedulo ad examen pro ingenii modulo revocarem, effecit, ne specificis medicamentis plus tribuerem quam par est. Quamquam vero illud haud inficias ire ausim, revera dari nonnulla medicamenta, quæ largas nimis sanguinis evacuationes sistunt. Pulverem sympathicum dictum hæmorrhagias sistere, vel si linteo madefacto sanguine, qui ex aperto loco profluit, inspergatur, certissimis observationibus, atque experimentis compertum est. Nihil est aliud hic pulvis, quam Vitriolum calcinatum ad albedinem, sive id fiat, ut nonnulli mysteriose volunt, ad Solem diebus canicularibus, sive calore hypocausti. Verum eodem ecquis se tuto uti posse confidat, nisi probe noverit prius morbi causam remotam fuisse? Si in hæmoptysi a plenitudine sanguinis, ab ejusdem orgasmo, ab acrimonia corrosiva oriunda adhibeatur, neque plenitudo sanguinis venæ sectione tollatur, neque orgasmus refrigerantibus temperetur, neque acrimonia corrigatur, putas ne cessante hæmorrhagia, morbum debellatum iri, neque recidivas pessimas, ac periculosissimas esse consequuturas? Juvenis quidam ortus a parentibus phthisicis sputo cruento insigni corripitur; varia eaque meliora adhibentur medicamina, sed omnia frustra. Nescio quo consilio, me inscio, pulverem adhibent ad sanguinem supprimendum feliciissimo prorsus eventu. Quo fateor me non parum hæsisse. Verum mirum dictu, in sputum cruentum denuo incidisse, quod ne imminui quidem potuit, quocumque tandem remedii genere adhibito, huic puris sputum supervenisse, ac tabem, qua ęger interemptus est. An igitur temeritatis notam effugere valeas, si ea in usum revoces, quæ minus tuta esse, & exitus ipse declarat, & ratio ab observationibus ducta confirmat?

XIV. *Juscula extremitatum pedum vituli &c. cum gum. arabic.*) Dici vix potest quantum valeant gelatinosa, ac mucilaginosa corpora ad fluxiles nimis humores incrassandos, atque abhinc sanguinis evacuationes nimias supprimendas. Jam vero pulmones ipsos, si forte nimis constricti sint, blande relaxari contingit, sanguinem e disruptis, aut erosis in vesicularem substantiam effusum, atque ibidem hærentem sensim, sensimque resolvi, & qua data porta extra nobilissimi visceris confinia educi, qui cæteroquin corruptus, ac putrescens puris sputum, ac tabem excitare posset. Novi quemdam fide digniissimum virum, qui testabatur se in adolescentia constitutum sputo sanguinis pressum repetito usu gum. arabic. perfectissime convaluisse, ut ad extremum fere usque senium integer omnino pervenenerit.

XV. *Post sanguinem sistentia, præsertim si remaneat levis quædam tussicula &c. ser. lact. &c.*) Egregie docet Hippocrates (1), sanguinem expuenti necesse esse nec tussim supervenire, nec difficultatem respirationis, neque febrem, neque sanguinis sputum denuo recrudescere; secus enim verendum est, ne sanguinis sputum in puris sputum desinat, ac tabem. Quod si in ullo cruento sputo contingit, contingit maxime in eo, quod a vitiata sanguinis crasi, acrimonia scilicet insigni ortum traducit, qua tunicæ vasorum exeduntur, corroduntur-que. Methodus igitur præservativa in hoc potissimum sita est, ut præcaveatur, ne tussis superveniat, & difficultas respirationis, & alia recensita symptomata, quæ sanguinis sputi in puris sputum transitum portendunt. Tussis quidem non aliunde repetenda est, quam ex vasorum orificiis ita coalescentibus, ac consolidatis, ut globulosę sanguinis parti exitum pręcludant, non tenujori, serosæ scilicet, ac lymphaticæ, quę propterea in vesiculas pulmonales effusæ tussim excitat. Quæ si in ea quantitate colligatur, ut vesiculas easdem infarciat, atque obstruat, tenujoribus exhalantibus particulis, crassioribus, ac terrestribus remanentibus facile putrescit, corrumpitur, ichorosa fit, tunicas vasorum sanguiferorum denuo

(1) *lib. de morb.*

denuo corrodit, exeditque, hinc difficultas reſpirationis, febricula, ac ſputi ſanguinis recidiva, quam puris ſputum ſequitur. His ergo apparentibus eo nervi induſtriæ omnes intendendi ſunt, ut vaſa perfectiſſime conſolidentur, deinde ut vitiata ſanguinis craſis, acrimonia ſcilicet acris, ſalſa, ſcorbutica cicuretur, læves, politæque particulæ in ſanguinem introducantur, nutritio augeatur. Quid hiſce muneribus obeundis ſero lactis cum plantis, quę balſamica vi, eaque blandiſſima, & non admodum calefaciente ſunt præditæ, quid decoctis radic. Chin. cancror. fluviatil. ranar. & his ſimilium aptius, aut pro ægrorum opportunitate valentius?

XVI. *Æſtivo tempore aq. nocerianæ &c.*) Aquæ nocerianæ ad inſtar cæterarum thermalium exhibitæ mirum in modum conferre viſæ ſunt. Præterquamquod nimiam humorum turgeſcentiam, atque inconditam vitioſorum ſalium vim temperando, atque infringendo id demum efficiunt, ut remiſſo ſanguinis motu, qui prius in pneumonica vaſa impetum dederat, cruentæ excretionis occaſio deficiat; accedit præterea, bolari terra, quam continent, vaſorum fibris ab tonum redeuntibus, venas, arteriaſque excernentes ſanguinem ſubſidere, atque affectam partem conſolidari. Illud ſolum enixe cavendum eſt, ne majore in copia, quam pulmonum læſa ſtructura poſtulat, ingerantur, ne quem morbum debellare volumus, diſtentione vaſorum nimia facta, eumdem ſęvius ægros exercentem ſuſcitemus.

XVII. *Tandem diæta lactea &c.*) Acribus, ſalſis, corroſivis ſalibus cicuratis, dilutis, & qua data porta extra corporis confinia eliminatis, pulmonum vaſis ſanguiferis coaleſcentibus, ac conſolidatis, quid ad læves politaſque particulas in ſanguinem introducendas, quid ad nutritionem reſtaurandam lacte præſtantius? De lactis virtute, atque efficacia ad hæmoptyſim curandam memorabilis extat Tralliani locus (1): *Omnes hæmoptyci lacte utantur. Neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quippiam adeo accommodum ipſis, aut utile, quam lac: & qui per initia ſolo ipſo conſtanter, longiori tempore uſi ſunt, omnes in totum conſanuerunt.* Addit porro: *Novi quemdam, qui cum toto anno lac bibiſſet, & comediſſet, & a vino abſtinuiſſet, ab hæmoptyſi, & puris ſputo liberatus fuit, ut nec poſtea in phthiſim inciderit.*

De lactis uſu plura ſequenti capite.

CAPUT III.

De Phthiſi pulmonali.

I. *NUllum viſcus frequentius læditur, atque ea ratione afficitur, qua opus eſt ad totius corporis abſumptionem, quam pulmo.*

II. *Læſio autem iſta vel immediate a mala ipſius pulmonis conſtitutione pendet, vel ab aliis præcedentibus morbis ortum traducit; hinc phthiſeos in originalem, & ſymptomaticam diviſio.*

III. *Illa quidem ad ejuſdem flaccidiatem, & copioſum materiæ lymphaticæ proventum, vel ex univerſo corpore ille fiat, vel capite per vias communes. 2. ad congeſtionem ejuſdem materiæ in lymphaticis vaſis glanduliſque, unde tubercula, ac lapideæ concretiones. 3. horum corruptionem, putrefactionem, atque abhinc prodeuntes abſceſſus, atque ulcera proxime referenda.*

IV. *Morbi, ex quibus phthiſis tamquam ſymptoma proficiſcitur, ſunt Angina, Peripneumonia, Pleuritis, Hæmoptyſis, Aſthma humorale, & convulſivum, male curati, aut judicati.*

V. *Cauſæ remotæ ſunt laxata nimis, ac tenella pulmonum compages, mala pectoris conformatio, ſanguis ſero, ac lympha plurimum abundans, ejuſdem craſſities, viſciditas, & lentor, tenuitas, ac ſolutio, acrimonia inſignis.*

VI. *Cauſæ remotiores, & externæ eædem ſunt, quæ hæmoptyſeos, quibus addendum contagium.*

VII. *Dum tubercula fieri incipiunt, vel vix ac facta ſunt, tuſſis apparet initio ſicca, arida, mitis, quæ poſtmodum moleſta fit, & humida cum excretione materiæ acris, ſalſæ, atque amaræ, nullis remediis cedere neſcia, quam comitari ſolent ſitis, vox rauca, & clan-*

(1) *lib. 7. p. 304.*

clangoſa, dein malo progrediente reſpirationis difficultas, & dolor plerunque in peculiari aliqua parte thoracis, & difficilis in eadem decubitus, ſine frigore, & rigore invadens febris continua, lenta, quæ a paſtu exacerbatur, macies corporis, quæ in dies ſingulos creſcit.

VIII. Dum tubercula ad maturitatem veniunt, febris ſupervenit inflammatoria cum pulſu celeri, frequenti, dolor acutus, difficilior reſpiratio, graviſſima tuſſis, rigor quidam, & horripilatio cum univerſum corpus, tum præſertim extremos artus occupans, ut fere in periodicis febribus intermittentibus contingit.

IX. Si hiſce tandem ſuperveniat ſputum purulentum, quod colore vario, odore fœtido, præſertim ſi carbonibus immittatur, facili cum aqua mixtione, & in eamdem deſcenſu, nec non nigredine, qua inficitur acus argentea, dignoſcitur (niſi forte in cyſtide colligatur, & vomica occulta fiat vix ulla ſui præferens indicia) urinæ copioſiſſimæ ſuperveniant, & pinguedo telæ araneorum inſtar eiſdem ſupernatet, ſudores nocturni, vomitus, diarrhœæ, copioſiſſimæ ſalivæ excretiones ſe invicem excipientes, aphtæ in ore, palato, gutture, aphonia, deglutitionis difficultas, ulcus pulmonum factum eſſe certo certius habendum.

X. Phthiſis, quacumque tandem ex cauſa naſcatur, periculoſiſſimus morbus eſt; quæ tenellos invadit, quæ hæreditaria, quæ a mala pectoris conformatione exoritur lethalis.

XI. Quæ a tuberculis enaſcitur fieri incipientibus, vel vix factis, niſi tolli penitus poſſit, diu ſaltem protrahi poteſt; e contra quæ ab ulcere pulmonum.

XII. Quanti periculi plena ſit vomicæ diſruptio, dici vix poteſt.

XIII. Ubi primi gradus phthiſeos indicia ſe prodant, ſi res præſertim ſit cum ægro, cui ſuppreſſæ ſint naturales evacuationes, venæ ſectio inſtituatur, conſer. caſ. Donzel. vel ſimile leniens medicamentum bis terque in menſe propinetur.

XIV. Interim vero quotidie pillulæ ex gumm. ammon. puriſ. ʒ i. .s. fl. benzoni. ʒ i. pulver. millep. ʒ iii. extract. Croc. balſam. peruvian. a ℈ .s. balſam. ſulphur. therebint. q. s. ad pondus granorum xii. ter die exhibeantur, quibus æger ſuperbibat decoct. theifor. veronic. heder. terreſ. unc. vi.

XV. Hiſce ineunte vere ſuccedant decoctiones ex ſar. peril. elect. radic. Chin. a ʒ ii. raſ. Cor. Cer. ebor. a ʒ i. fol. hed. terreſtr. fl. hyper. a p. i. Avend. hord. mund. a p. .s. carn. vitul. unc. ii. ranar. excortic. caudar. cancror. cum cortic. contuſ. unc. i. .s. aq. font. Lib. ii. quorum fiat s. a. ebul. uſque ad conſumpt. tertiæ partis, colatura mane ad unc. viii. propinetur per xxx. circiter dies.

XVI. Ardente Sirio aquæ B. Mariæ Virg. Aponenſes in agro Patavino, vel etiam acidulæ Recobarii in agro Vicentino, ubi a flaccescentibus pulmonibus phthiſis exoriatur, mirum in modum conferre viſæ ſunt.

XVII. Exercitationes corporis moderatæ, ac præſertim equitationes inſtituantur.

XVIII. Ubi tubercula jam facta ſint, victus ratio ex aven. hord. carnib. juniorum animalium, eorumque extremitatibus, cancris fluviatilibus, teſtudin. ran. ſeminib. frigidis majoribus, amygdalis, & ex his paratis ptiſanis, juſculis, gelatinis, emulſionibus apprime convenit. Ferculum Saxoniæ ad cocl. i. ex juſculo calido, vel pulmentum ex eodem paratum pro cœna aſſumendum, nec non pulvis Halii Abbatis recens a ʒ i. ad ʒ ii. eximiam operam præſtant.

XIX. Aquæ Nocerianæ in temperamentis fervidioribus aduſtiſque, in frigidis vero laxiorique habitu donatis B. Virgin. Aponenſes opportuno tempore.

XX. Tandem ad lactis aſtinini, aut muliebris e mammis exſucti feminarum, quæ ſanæ ſint, & optimi temperamenti, vel e mammis expreſſi jam uſum deveniendum eſt. Quare præmiſſa leni purgatione ab unciis tribus lactis incipiendum, eæque cum pulveribus oculor. cancror. aut conchar. prep. ſumendæ per quatuor dies, inde progrediendum ad 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. per alios ſubſequentes dies, ac ſenſim, ſenſimque doſis minuenda, uſque dum fiat regreſſus ad uncias tres. Sumpto lacte ſomnus imperandus, ac nonniſi poſt horas quatuor, aut ultra prandium concedendum, quod leve ſit ex avena, hordeo, lacte, aut juſculo tenui coctis, pauxillo panis, & carnis pulli farina hordei, avenæ nutriti. Cœna ſit liberalior. A vino abſtineat æger, & aqua rad. Chin., & uvis corinthiacis, aut liqueritia alterata, aut hydromele utatur, ab acidis omnibus pariter, & horæis fructibus. Eadem methodus ſervetur per quadraginta circiter dies.

XXI. Si ructus acidi, tormina moleſta, nauſeæ ſuperveniant, leniter purgandus æger,

v. gr. fl. Caſ. r. e. cum pulp. tamarindor. ſuperbibendo ſerum lactis depur. ad Lib. ii. Si vomitus, aut diarrhœa, pulvis ex ter. ſigillat. cor. cer. ebur. uſt. a. p. æ ad ℥ .s. ex lacte propinandus. Gelatina quoque cornu cervi, extremitatum pedum vituli in aq. plantag. ac torment. parata, conſerva roſarum rubrarum eximii ſunt uſus.

XXII. Niſi vomitus, aut diarrhœa ſiſtatur, lactis uſus intercipiendus. Chocolatæ potum cum lacte paratum mira præſtitiſſe non ſemel deprehendi.

XXIII. Quod ſi febris intenſa cum calore inſigni ſubſequatur, juſcula pulli, aut carnis vituli, in quibus ebullierint ſemina frigida majora, horyſa, hordeum mund., avena contuſa lacti naturali ſubſtituenda. Eximii quoque uſus eſt aqua lactis in hunc fere modum parata. ℞ Fol. heder. terreſtr. veron. virg. aur. lenticul. a m. ſ. cancror. fluviatil. cum cortic. contuſ. ranar. excorti. teſtud. a Lib. i. raſur. Cor. Cer. ebor. a Lib. .s. ſemin. quat. frigid. Lib. i. Hord. mund. vel aven. Bavar. Lib. ii. Dactylor. Lib. i. .s. ſer. lact. lib. xxxx. M. deſtil. .s. a. in B. M. uſque ad claritatem detur ad unc. x. quotidie mane, & veſpere.

XXIV. Si ad ſuppurationem veniant tubercula, & febris inflammatoria ſuccedat, eadem fere methodo tractanda, qua Peripneumonia, & Pleuritis.

XXV. Remittente febre, & ſputo purulento apparente, aer eligatur ſulphurearum particularum dives; ſuffumigia fiant intra cubiculum ex ligno baccar. juniper. maſtich. benzoin. myrrh. & ſimilibus balſamicis.

XXVI. Alimenta ſint avenacea, hordeacea, carnes juniorum animalium, teſtudinum, & alia hujuſmodi.

XXVII. Aqua calcis .s. a. pp. ad unc. iv. cum ſyrup. heder. terreſtr. mel. roſat. ſolut. a unc. .s. bis in die ægrotanti exhibita, ubi copioſa ſit materiæ purulentæ excretio, mirum in modum conferre viſa eſt.

XXVIII. Inter balſamica pillulæ ex balſam. Tolut. extract. flor. hyper. Olib. gum. animè, mum. pp. a ℥ i. camph. gr. iv. cum ſyrup. hed. terreſtr. q. .s. ad pondus gran. xxx. exhibendæ mitiſſimæ æque, atque efficaciſſimæ ſunt in hoc phthiſeos gradu. Syrupus quoque terebinth. ad unc. i. ex decoct. heder. terreſtr. eximii uſus eſt.

An oculis cancrorum in ſua principia reſolutis, an antihectico Poterii, an antimon. crudo, aliiſque ejuſcemodi medicamentis ſpecioſo ſpecificorum titulo inſignitis in tanta cauſarum diverſitate utendum?

CAPUT III.

De phthiſi pulmonali.

I. *NUllum viſcus frequentius læditur, atque ea ratione afficitur, qua opus eſt &c.*) Phthiſis, quam latini tabem appellant, ſi generatim accipiatur, quamcumque corporis extenuationem, a quacumque cauſa ea fiat, comprehendit, licet ad eam, quæ ab affectis pulmonibus ortum traducit, contrahatur. Orta hinc apud accuratiores practicos diviſio phthiſeos in eſſentialem, & ſymptomaticam. Eſſentialis ea dicitur, quæ a toto corporis habitu eſt, citra viſceris alicujus læſionem; ſymptomatica vero, quæ ab alicujus viſceris infarctu, inflammatione, abſceſſu, atque ulcere. Ea rurſus vel a defectu alimenti, vel ejuſdem depravatione, vel a mala partium nutriendarum affectione. Quot igitur ſunt cauſæ, a quibus alimentum, ſeu ſuccus nutritius, materia ſcilicet ejus proxima in ſanguinem non ingrediatur, vel ingreſſa plus egeratur, quam opus ſit, tot erunt phthiſeos differentiæ a defectu alimenti. Huc ſpectant longa inedia, huc obſtructiones pylori, hepatis, pancreatis, meſenterii, vermes in ventriculo, & inteſtinis nidulantes, huc hæmorrhagiæ longæ, & diuturnæ, fonticuli, ſetacei, ulcera antiqua, & magna, lactatio nimia, nimia ſeminis, & liquorum genitalium effuſio, gonorrhœa muliebris, dyſenteria, diarrhœa, urinæ profluvium, ſalivatio immodica. Præterea quot ſunt cauſæ, quibus ſuccus nutritius depravatur, ineptuſque fit ad nutritionem partium efficiendam, tot eſſe phthiſeos differentias ob ejuſdem depravationem cenſendum eſt. Huc perverſa chyli elaboratio in ventriculo, & inteſtinis, monente Lindano, huc vitia maſſæ ſanguinis, quod non raro contingit poſt febres male judicatas, aut curatas, quæque in hecticam degenerant, in affectionibus hypochondriacis, ſcorbuticis, ſcrophuloſis, venereis, arthriticis, rheumaticis, variolis, morbillis, & hujuſmodi aliis. Demum haud infrequens eſt, partes nutriendas nutritioni ineptas fieri, cum debito ſpirituum influ-

xu non vigorantur, proindeque ipſarum tono labefactato, ſenſim, ſenſimque corpus extenuatur, ac contabeſcit, quod phthiſeos genus atrophiam nervoſam Cl. Mortonus apte appellavit. Atque hæ ſunt præcipuæ phthiſeos ſpecies a toto corporis habitu, ſeu eſſentiales, citra ullius viſceris læſiones.

Symptomaticam vero quod ſpectat, quæque ab alicujus viſceris læſione enaſcitur, plures & ipſa ſortita eſt differentias, quæ a viſceris lęſione denominationem ſumit. Ita ſi Hepar, Renes, aut Pulmones corrumpantur, ſequitur febris lenta, & continua, extenuatio totius corporis, phthiſis ſcilicet, quæ propterea Hepatica, Renalis, Pulmonalis dici poteſt. Hæc poſtrema reliquis omnibus omiſſis a nobis eſt unice conſideranda, tum quod tractationem hanc in ſolis thoracis morbis conſiſtere, non vero ad alios fines extendi volumus, tum quod omnium frequentiſſima, atque hujus notio, & curatio eſt veluti regula quædam ad alias quoque dignoſcendas, & curandas.

Pulmonem, præ cæteris viſceribus, inſignibus læſionibus obnoxium eſſe, eaſque phthiſim frequentiſſime omnium procreare facit peculiaris ejuſdem ſtructura, atque uſus. Cum enim ex meris veſiculis membranaceis aerem pro reſpiratione excipientibus tenellis, exilibuſque conflatus ſit, deinde apprime neceſſarius ad circulationem ſanguinis pro univerſis corporis partibus nutriendis, quacumque vel levi de cauſa vitiari eumdem contingit, vitiatum vero labem toto ſanguini communicare, unde totius corporis extenuatio, ac tabes.

II. *Leſio autem iſta vel immediate a mala ipſius pulmonis conſtitutione pendet &c.*) Nemo unus tanta ſedulitate, atque ſolertia morbum hunc pertractavit, quanta Cl. Mortonus in ſua phthiſiologia. Præclarus auctor uti phthiſim generatim acceptam in eſſentialem, & ſymptomaticam, utramque porro in quamplurimas ſpecies, ſeu claſſes diſpartitus eſt, ita pulmonalem in primariam, ſeu originalem, & ſecundariam, ſeu derivatam dividere conſentaneum duxit. Quæ ſane diviſio cum per ſe ſatis clara eſt, tum ad praxim commodiſſima. Per originalem eam cum præſtantiſſimo viro intelligimus, quæ immediate a mala pulmonum conſtitutione pendet; per derivatam vero, quæ peculiarem aliquem morbum tamquam ſymptoma conſequitur.

III. *Illa quidem ad ejuſdem flaccidita-tem.*) Hujuſce phthiſeos ſpeciei meminere Veteres Medici, Galenus, Fernelius, aliique; verum a pleriſque Recentiorum vix, ac ne vix quidem animadverſa. Frequentiſſima ſane eſt, & neſcio an uberius, quam ab hoc fonte exoriatur tabes ſenum, & eorum qui diuturnis morbis infeſtantur. Cum enim in ſenibus, & iis qui diuturnis morbis tenentur, liquidum nerveum craſſum, viſcidum, ſeroſum, atque ad motum minus expeditum ſit, molles, ac teneras pulmonum fibras areſcere facile contingit, vaſa eorumdem ſanguifera exſucca fieri, totam pulmonum ſubſtantiam, ac compagem flacceſcere, ſanguinem per eoſdem excurrentem ea ratione affici, qua opus eſt ad totius corporis abſumtionem, ac tabem.

Copioſum materiæ lymphaticæ proventum, vel ex univerſo corpore ille flat, vel &c.) A copioſo materiæ lymphaticæ, ac ſeroſæ in pulmones proventu, ſeu catarrho in pectus affluente phthiſim propigni Veteres fere medici, & Recentiores uno ore affirmarunt. Quo autem modo lymphatica, ac ſeroſa materies, catarrhus ſcilicet, pulmones appellat, inter Veteres, & Recentiores Medicos controverſum eſt. Veteres quidem, quos inter Hippocrates, & Galenus, in ea fuerunt opinione, catarrhum a Cerebro in ſubjectos pulmones per latentes vias deſcendere, ibique retentum phthiſim, ac tabem, ut ajunt, ex deſtillatione progignere. Quæ Hippocratis, & Galeni aſſertio Scriptorum omnis ævi ingenia dire exercuit, ut vias, per quas ſerum, ac lympha a capite in pectus deſcendit, aſſignarent. Mitto illorum opinionem, qui putant, ſerum, lympham a primis viis in cerebrum elevari, a frigiditate cerebri condenſari, in pituitam, ſeu catarrhum converti, a ventriculis cerebri receptum deſtillare in infundibulum, ex hoc in glandulam pituitariam, ex glandula pituitaria in os hætmoides, ex oſſe hætmoide in palatum, in tracheam & pulmones deferri; ceu quæ ridicula plane, ac commentitia pleriſque viſa, altiori voce jam diu damnata, & e medio, quantum illis fas fuit,

fuit, ſublata fuit. Viæ nempe, per quas ſerum lympham a primis viis in Cerebrum ſublimari, tum illæ etiam, per quas a Cerebro in palatum, ac pulmones deferri putant, nullæ ſunt. Compertum quidem eſt, dari commercium ventriculorum cerebri cum infundibulo, infundibulum terminari in glandulam pituitariam, quę eſt in baſi Cerebri; huic autem ſua eſſe vaſa lymphatica, quæ non in palatum, & cavitatem oris, ſed in venas jugulares deſinunt, ut præ cæteris Cl. Williſius teſtatus eſt. Quo apparet, ſerum, ac lympham in glandula pituitaria collectam deſcendere quidem poſſe in pulmones, at non per breves vias, quas ſibi finxerunt Veteres, excuſatione cæteroquin digniſſimi, quod in ſumma rei anatomicæ obſcuritate verſabantur, ſed per ductus lymphaticos a glandula pituitaria ad jugulares venas abeuntes, ac communes vias ſanguinis. Cum enim ſanguis a jugularibus venis in venam ſubclaviam, a vena ſubclavia in cavam, ex hac in dextrum cordis ventriculum, ex dextro cordis ventriculo in arteriam, & venam pulmonalem propellatur, liquet, ſerum copioſum una cum ſanguine a cerebro glandulas pulmonum appellere poſſe, ac phthiſim, ſeu tabem ex deſtillatione a capite progignere. Brevior adhuc, & compendiaria via eſſet, ſi pluribus iteratiſque Cl. Anatomicorum experimentis oſcula quædam ex vena azyga in tracheam hiantia, quæ ſe detexiſſe Cl. Jo. Maria Lanciſius teſtatus eſt, paterent uſque adeo, ut nullus relinqueretur dubitandi locus. Serum enim acre, irritans in cerebro collectum per jugulares venas refluens in cavam, ſtatim atque pertingit ad locum enuntiatis foraminulis pervium (eſt autem a jugulo uſque ad diviſionem tracheæ in bronchia) minimo negotio in eadem foraminula penetrare, ſtimuloſque excitare valet, tuſſim, & deſtillationem phthiſi, ac totius corporis extenuationi in gracilioribus præſertim impetum daturam. Hæc fere Lanciſius, cujus quidem ſententia nihil adhuc ingenioſius dictum.

2. *Ad congeſtionem ejuſdem materiæ in lymphaticis vaſis, glanduliſque, unde tuberc ula &c.*) Seroſa materies vel craſſitie peccet, viſciditate, ac lentore, vel tenuitate nimia, & ſolutione, vel acredine, vel mota nimia celeritate, tenuiſſima, ac ſubtiliſſima vaſa lymphatica diſtendens nimis, eorumque extremitates glandulas appellentes anguſtans, ſibimet ipſi curſum impedit, vel mordendo, vellicando, ac convellendo eadem penitus occludit, vel anguſtiora reddit, quam eidem vehendæ paria ſint, hinc facile retardatur, ſubſiſtit, concreſcit, ac tubercula procreat, ut propterea in quamplurimis cadaveribus eorum, qui hoc morbo evaſerunt, nihil inventum ſit, præter pulmonum ſubſtantiam ita mutatam, ut e mollibus, flaccidiſque duri, & conſiſtentes facti ſint, hepatiſque ſubſtantiam æmulantes. Qua de re videantur M. N. C. (1), Pezoldus (2), Act. Hafn. (3), Harderus (4). Tenuiori, ac ſubtiliori ſeri parte cum ipſorum pulmonum, tum aliorum adjacentium viſcerum calore exhalante, ita dura fiunt tubercula, ut lapidis formam præſeferant, quemadmodum citatus Harderus (5) & M. N. C. (6) teſtantur.

3. *Horum corruptionem, putrefactionem, atque abhinc prodeuntes abſceſſus &c.*) Non poſſunt autem fluida in aliqua parte concreta diu hærere, quin eorum componentes partes ſenſim a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, ac ſenſim, ſenſimque corrumpantur, atque putreſcant. Quę dum fiunt, jam ſolidę partes, vaſa nimirum minima pulmonum, glandulę eorumdem, veſiculę facile exeduntur, ac prętereffluenti ſanguini locus datur, unde abſceſſus, ulcera fiunt, ac phthiſis adeo famoſa ſubſequitur, ut Harderus (7), Petr. Pavv. (8) Bartholinus (9).

IV. *Morbi, ex quibus phthiſis tamquam ſymptoma proficiſcitur, ſunt Angina.*) Anginę, ut ſupra oſtendimus, exitus vel diſcuſſio eſt, vel ſuppuratio, vel ęgri ſuffocatio. Diſcuſſio autem dupliciter contingit: vel enim reſolvitur materia tumorem efficiens, & per convenientes, ac deſtinatas

(1) *Dec.* 3. *an.* 3. *obſ.* 188. (2) *obſ.* 64. 74.
(3) *P. I. A.* 1673. *obſ.* 4. (4) *obſ.* 46. (5) *Anat. pract.* 46. *obſ.* 34.
(6) *Dec.* 2. *An.* 4. *obſ.* 35. & *D.* 3. *An.* 3. *obſ.* 188. *teſtantur.*
(7) *obſ.* 51. (8) *obſ.* 21. & 25. (9) *cent.* 5. *obſ.* 7.

tas a natura vias ſputum ſcilicet, ſudorem, urinam ejicitur, vel in aliquod viſcus transfertur, ibique ſubſiſtens diverſum a priore morbum procreat. Frequentiſſime materiem in faucibus, viciniſque partibus hærentem in pulmones transferri obſervationibus accuratiorum practicorum, atque ipſius Hippocratis compertum eſt. Hinc ſi angina vera ſit, ſeu ab inflammatione faucium, vicinarumque partium ortum traducens, materia inflammatoria ad pectus delata, Pleuritis periculoſa, ſeu Peripneumonia ſuboritur. Si vero Anginaſpuria ſit ab infarctu, ac congeſtione ſeroſi, ac lymphatici humoris in glandulis ſalivalibus, tonſillis, amygdalis, & ſimilibus, Angina evaneſcente, ac materie in pectus decumbente, pulmonum infarctus, congeſtioneſque facile ſubſequuntur, & phthiſis. Angina etiam ſæpiſſime in ſuppurationem abit, ruptoque abſceſſu, pus ad pectus ruit; hinc niſi æger ſuffocetur, phthiſis ſubſequitur. Effuſum enim pus in pulmones craſſitie ſua, ac viſciditate obſtruit ductus, atque emiſſaria glandularum pulmonalium, impeditque, quominus ſerum ex iiſdem excerni valeat, ac propterea hærere in iiſdem, ac ſubſiſtere cogatur, unde tubercula, lapideæ concretiones, & alia ejuſcemodi mala ſuperveniunt. Huc accedit, pulmones ipſos cum a pure in veſiculis, tum a ſero in glandulis hærente facile exedi, ac corrumpi poſſe, unde phthiſis ulceroſa præſto ſit.

Peripneumonia, Pleuritis.) Peripneumoniam, & Pleuritidem inter ſe differre tantum, quod illa ſit inflammatio ſubſtantiæ pulmonum, hæc vero extimæ eorumdem membranæ, cenſendum eſt. Qua de re ſequenti capite. Utrumque autem, aut alterutrum horum contingat, phthiſim tamquam ſymptoma ſubſequi tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Ubi enim ſanguis in vaſis veſicularem, atque internam pulmonum ſubſtantiam perreptantibus ſubſiſtit, atque inflammationem gignit, niſi per ſputum ejiciatur, vel diſcutiatur, facile in ſuppurationem abire eamdem contingit, & abſceſſum, atque ulcus progignere, unde phthiſis. Huc accedit, ſanguine in pulmonibus ſubſiſtente, poſſe tenuiorem ejuſdem partem per vaſorum tunicas quaſi tranſcolatam exſudantem in veſiculis retardari, hærere, ſeri, ac lymphæ e glandulis excretionem prohibere, & tuberculis, atque lapideis concretionibus occaſionem præbere. Quod ſi de pleuritide ſpeciatim ſermo ſit, ſi forte in ſuppurationem abeat, perſpicuum eſt, poſſe pus in cavitatem pectoris effundi, ibique retentum, ac putreſcens Pleuram ipſam, Diaphragma exedere, ac tabem ab earumdem partium læſione procreare.

Hæmoptyſis.) Hæmoptyſis, & phthiſis adeo affines ſunt morbi inter ſe, ut differant tantum ſecundum magis, & minus. Quæcumque enim ſit illius cauſa, vel anaſtomoſis juxta allatam ſententiam, vel diæreſis, vel rhixis, vel diabroſis, certum eſt, niſi vaſa alterutro ex his modo coaleſcant, ulcus facile, ac phthiſim excitari. Quamquam vero ſi coaleſcant, niſi ſanguis in veſicularem pulmonum ſubſtantiam effuſus per ſputum ejiciatur, diuque ibidem retineatur, corrumpi eumdem ſenſim, ſenſimque contingit, in pus converti, quod vaſorum pulmonalium tunicas erodens ulcus, atque hinc phthiſim progignere valet. Saltem illud nemo inficiabitur, a ſanguine in veſiculari pulmonum ſubſtantia ſubſiſtente vaſa minima ſanguifera obſtrui facile poſſe, ſeri ſecretionem impediri, hinc tubercula, atque alias ejuſcemodi concretiones ſupervenire, quæ phthiſi pulmonali producendæ opportuniſſimæ exiſtunt.

Aſthma humorale, & convulſivum.) Celebris eſt diviſio aſthmatis in humorale, & convulſivum. Illud quidem ab humore aliquo efficitur pulmonales veſiculas, & bronchia infarciente, ac gravante, liberumque aeris ingreſſum prohibente, dum ſcilicet turbata ſanguinis mixtura ob pravorum vitioſorumque ſalium exaltationem ſolvitur ille, colliquaturque, atque fibrarum laxitate peccante, diductiſque pulmonum meatibus ichores vel tenues, & fluidi, vel viſcidi, & lenti in eoſdem deponuntur, qui ob langueſcentem ſolidarum partium tonum dimoveri, nedum ſatis prompte expelli nequeunt. Alterum vero, ſeu convulſivum a muſculorum, membranarum, fibrarumque reſpirationi famulantium ſpaſmodica contractione, quemadmodum in hypochondriacis, atque hyſtericis affectionibus contingere videmus, ſic quidem, ut liber aeri ingreſſus in pulmones præcludatur. Si primum fiat, perſpi-

ſpicuum eſt, ſeri ſecretionem, quod in glandulis depoſitum eſt, facile impediri, hinc tubercula, atque lapideas concretiones exoriri, quæ ſuppurata ulcus pulmonum excitant. Si poſtremum, lympha, ſerum, aut quicumque alius liquor, qui parce a glandulis extillare ſolet, copioſius projicitur, interdum ſanguis vaſis ſanguiferis diſruptis effunditur in veſiculas pulmonales, ac bronchia, ac propterea obſtructis, compreſſis, aut alia ratione affectis glandulis, qua opus eſt ad prohibendam ſeri excretionem, tubercula, atque ulcera pulmonum ſubſequuntur.

V. *Cauſæ remotæ ſunt laxata nimis, ac tenella pulmonum compages.*) Cauſæ remotæ phthiſeos vel a ſolidarum partium vitiis deſumi debent, vel a fluidorum dyſcraſia. Quę a ſolidarum partium vitiis deſumuntur, vel in ipſis ſunt pulmonibus, vel in partibus pulmonem continentibus. Si ſit in pulmonibus, ſunt laxa nimis, ac tenella eorumdem compages. Cum enim pulmones continuo diſtrahi, & contrahi debeant pro aeris tantopere neceſſarii ad vitam hominis ſuſtentandam libero ingreſſu, egreſſuque, nec non ſanguinis a dextro cordis ventriculo per arteriam, & venam pulmonalem in ſiniſtrum, indeque in Aortam, & univerſum corpus trajectione, manifeſtum eſt, a violenta plus minus aeris inſpiratione, vel ejuſdem prava qualitate, atque a ſanguinis in eoſdem vehementi propulſione, vel ejuſdem dyſcraſia lædi facile poſſe, diſrumpi, exedi, unde ſerum, lympha, ac ſanguis in veſicula effundatur, ibique obſtruendo, comprimendo, convellendo tuberculis, ulceribus anſam præbeat.

Mala pectoris conformatio.) Vitia, quæ ſunt in partibus pulmonem continentibus, ſunt potiſſimum mala pectoris conformatio tam naturalis, quæ ipſius anguſtia, collo longo, & humeris elatis, quam accidentalis, quæ ejuſdem pectoris curvitate, ſeu diſtorſione fit manifeſta. Si pectus anguſtum, & collum oblongum ſit, præterquamquod pulmo ipſe non ea ratione dilatari poteſt, qua opus eſt ad liberum aeris ingreſſum in veſiculas pulmonales, accedit præterea, trachea nimis longa exiſtente, atque anguſta in expiratione aliquam aeris portionem in veſiculis retineri; ideoque ſanguinis motum per vaſa pulmonum intercipi, aut ſaltem maxime retardari, alicubi hęrere, ſubſiſtere, fibrarum tonum everti, ſerum, lympham, ichoreſque vitioſos, apertis, diductiſque pulmonum meatibus, in veſiculas, in bronchia deponi, qui non ſatis prompte expulſi, obſtruendo, comprimendo, aut aliter afficiendo pulmonum glandulas, tubercula, aliaque recenſita mala valent procreare. Quid ſi pectoris curvitas, aut diſtorſio adſit? Æquabilem nempe aeris in pulmonem ingreſſum, egreſſumque, nec non ſanguinis per vaſa pulmonum excurſum perturbari, atque hinc recenſita mala exoriri adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Dum ab hoc fonte exoritur phthiſis hęreditaria plerunque eſt, & a parentibus in filios, ab his in nepotes traducitur, ut prę cęteris Cl. Fernelius teſtatus eſt.

Sanguis ſero, ac lympha plurimum abundans, ejuſdem craſſities &c.) Plerique in ea ſunt opinione, ut credant, vitia fluidarum partium unice ad nimiam ſolutionem, ac colliquationem referendam eſſe. Cum enim deprehenderint, phthiſim comitari febrem ſine frigore invadentem, cum calore lento, ſed acri, qui poſt cibum adaugetur, pulſu nonnihil celeri, frequenti, ac duro, poſtmodum vero urinas fieri quodammodo oleoſas, ac telę araneorum ad inſtar ſupernatare, ęgros maxime poſt ſomnum ſudare, diarrhęa, aliiſque immodicis evacuationibus premi; ad credendum vehementer adducti ſunt, fluidarum partium vitia conſiſtere in ſalibus acribus, mordacibuſque, ob turbatam congruam ſanguinis mixturam, ob nimiam fuſionem, colliquationem exaltatis, qui non ſolum cor, & arterias mordere habent, ſpirituumque animalium motum concitare, unde febris cum pulſu celeri, frequenti, ac duriuſculo exoritur, ſed pinguedinem, ac carnes abradere, ſuccumque nutritium per excretoria communia educere, unde macies, urinę oleoſę, ſudores, alvi profluvia, & hujuſmodi mala enaſcuntur. Opinionem porro ſuam confirmant ex temperamento eorum, qui tali morbo capiuntur. In eumdem enim proclives ſunt, qui temperamento calido, & ſicco ſunt, qui a decimo octavo uſque ad trigeſimum quintum annum, qua ętate fervidi peccant humores, ſaleſque acres abundant, ut alia mit-

mittam quamplurima, quæ protenſo quaſi digito commonſtrare videntur, vitia fluidorum non aliunde, quam a nimia ſolutione, ac colliquatione repetenda eſſe. Verumenimvero falſa opinione adducti plus hiſce tribuerunt, quam par eſt. Phthiſim enim pulmonalem, atque abhinc prodeuntem hecticam febrem, cum hectica febre eſſentiali nullum morbum conſequente non diſtinxere, quę non ad tractationem de morbis particularibus, ſed ad tractationem de febribus eſt rejicienda. Cum igitur inter cauſas phthiſeos pulmonalis proximas haud poſtremum locum obtineat copioſus lymphę, & ſeri in pulmones proventus, ſanguinem ſero, ac lympha copioſe abundantem eamdem progignere poſſe adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Quid ſi craſſitie, viſciditate, ac lentore peccet? Nonne congeſtiones ſeri in pulmonibus glandularum, obſtructiones, ac tubercula exoriri perſpicuum eſt? Si tenuitate nimia, ac fluiditate peccet, prętera quamquod per tunicas vaſorum univerſi corporis, ac conſequenter etiam pulmonalium tranſmittitur, & quaſi tranſcolatus exſudat, ac propterea in veſiculari pulmonum ſubſtantia ſubſiſtens, qua vellicando, qua comprimendo, qua convellendo ſeri, quod in glandulis depoſitum eſt, ſecretionem prohibere valet, & tubercula aliaque id genus malą procreare; accedit prętera, nimis velociter ſeſe per vaſa movente facile atteri, exſolvi, atque fundi ea ratione, qua opus eſt ad fibras totius corporis non ſolum ſtimulandas, ac febrem, caloremque excitandum, ſed ad abradendum etiam id, quod partibus appoſitum eſt, unde tabes ex totius corporis intemperie.

Quid de acrimonia ejuſdem dicendum? Vel nempe acris ſit ſanguis, vel acidus, vel ſalſus, vel ſimili vitio affectus, dum tenellam pulmonum compagem pervadit, facile ibi acres, erodentes, crudaſque particulas deponet, quę altius in eoſdem ſeſe inſinuantes tubercula, lapideas concretiones, atque ſimiles affectiones excitabunt. Atque hinc liquet, nullum eſſe morbum, qui non tandem in phthiſim degenerare poſſit.

VI. *Cauſæ remotiores, & externæ. eædem ſunt, quæ hæmoptyſeos.*) Cauſas remotiores, & externas Hęmoptyſeos eſſe diximus, quę nimiam humorum ſpiſſitudinem, craſſitiem, viſciditatem excitare valent, vel contra nimiam tenuitatem, acrimoniam, vel ipſam ipſorum pulmonum ſubſtantiam ita afficere, ut eorumdem vaſa levi quacumque de cauſa diſrumpi, ſcindi, dividi, vel exedi valeant. Ecquis porro eſt, qui non videat, ſi eędem cauſę vehementius operentur, congeſtionibus, tuberculis, ulceribus eſſe impetum daturas?

Quibus addendum contagium.) Utrum phthiſis ſit contagioſa, quæſtio eſt. Ne diutius quam par eſt in morbi phyſiologia immoremur, paucis habeto. Contagium ſi non ad phthiſim inducendam, tamen ſi diſpoſitio jam adſit, ad eamdem promovendam aptiſſimum exiſtit. Miaſma tamen e corporibus phthiſicorum exhalans non eam malignam habet naturam, ut e longinquo, & ſubitaneo quaſi impetu homines inficiat, quemadmodum in quamplurimis aliis contagioſis morbis obſervatum eſt, ſed tum demum, ſi quando propinquius, & continuo cum phthiſicis converſentur. Quæ fere Cl. Hoffmanni ſententia eſt (1), obſervationibus a Cl. Riverio, Schenkio relatis, aliiſque in M. N. C. deſcriptis confirmata.

VII. *Dum tubercula fieri incipiunt, vel vix ac facta ſunt, tuſſis apparet initio ſicca, quæ &c.*) Uti pleriſque morbis, ſic phthiſi ſua ſunt tempora. Vel enim infarctus tantum pulmonum adeſt ob copioſum ſeri, ac lymphæ in eoſdem proventum, vel tubercula fieri incipiunt, vel facta jam ad maturitatem, & ſuppurationem deveniunt, unde ulcera pulmonum ſubſequuntur. Ex varietate porro temporum factum eſt, ut alia incipiens, alia conſummata dicatur phthiſis; aptius vero in quatuor gradus diſtinguatur, quorum primus ad infarctum, alter ad tubercula jam facta, tertius ad tuberculorum ſuppurationem, quartus ad ulcus contrahatur. Quæ temporum diviſio non ſine admiratione accipietur ab iis, qui Cl. Williſium, Mortonum, alioſque practicos adierint, qui cum ſolertia, ac ſedulitate plane mirabili morbum huncce pertractaverint, tres tantum gradus conſtituerunt.

Primi, & ſecundi gradus, dum videlicet tubercula fieri incipiunt, vel facta ſunt, plura ſunt ſigna. Principem obtinet locum tuſſis, quæ probe attendenda eſt, ne rheu-

(1) *M. S. t. 4. p. 4. cap. 11. ſect. 1.*

maticæ tuſſis ſpecie imponat. Cum nempe tuſſi premuntur ægri, eo facile adducuntur, ut credant (atque hoc ſolatio plurimum recreantur) ſe rheumate premi, ideoque nihili eamdem faciunt; quibus ſi aſſentiantur Medentes, dici vix poteſt in quanto diſcrimine verſaturi ſint. Illud igitur phthiſicæ tuſſi maxime proprium, initio plerunque aridam, ſiccam, & mitem eſſe, poſtmodum vero moleſtam fieri, & humidam, quod contingit, vel quod materia irritans initio non hæret in bronchiis, ſed intra vaſa, vel ſi hæret in bronchiis, ob nimiam ejuſdem adhæſionem, vel nimiam tenuitatem inepta eſt ad excretionem. Cum vero repetita bronchiorum concuſſione ſic laxentur pulmonum fibræ, ut vel humor, qui intra vaſa continebatur, & vix, ac ne vix quidem ex glandulis extillabat, in bronchia copioſius projiciatur, vel qui nimis adhærens eſt, vel tenuis, ad excretionem aptus evadat, cum prius non eſſet, humidam fieri tum perſpicuum eſt, atque moleſtam.

Cum excretione materiæ acris, ſalſæ &c.) Cum lympha conſtet ex particulis diverſi generis, oleoſis ſcilicet, ſulphureis, volatilibus, ſalinis, terreſtribus, manifeſtum eſt, non poſſe diu in aliqua parte ſubſiſtere, quin eædem ſenſim a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, paulatimque corrumpantur, ideoque lympha a blanda, oleoſa, mitique natura deflectens rancida fiat, acris, ſalſa, unde excretio ſubſequitur acris, ſalſæ, & amaræ materiæ, quod æque affirmari non poteſt de tuſſi rheumatica, quæ & humida eſt, nullumque ſalſedinis, acredinis, aut amaritiei ſenſum conjunctum habet.

Nullis remediis cedere neſcia, quam comitari ſolent ſitis, vox rauca, & clangoſa.) Præterea illud tuſſi rheumaticæ maxime convenit, ut concoctis eductiſque humoribus bronchia, & pulmonales veſiculas infarcientibus ſponte deſinat, quod intra quadraginta dies ut plurimum, interdum citius contingit, cum e contra phthiſica contumaciſſima ſit, nulliſque remediis cedat. Ex ejuſdem lymphæ acredine fauces, & organa vocis moleſta vellicatione, ac contractione afficiente oritur vox rauca, ſitis, aliaque id genus ſymptomata.

Dein malo progrediente reſpirationis difficultas, & dolor plerunque &c.) Facta congeſtione ſeri, ac lymphæ in glandulis, atque impedito libero aeris in pulmonales veſiculas ingreſſu, egreſſuque, oritur dolor, & difficultas reſpirationis, quæ major fit, cum æger decumbit in ea parte, cui inhæret dolor, ut propterea ſitum mutare cogatur. Cum enim decumbat æger in latere affecto, lobus pulmonis ſani gravat, premitque lobum pulmonis affecti, propterea veſiculæ pulmonales coarctantur, ac difficultas reſpirationis augetur. *Plerunque*, inquam; ſiquidem Cl. Baglivus ex Dodonæo, *Latent*, ait, *interdum plures annos in pulmonibus tubercula, atque inſenſibili moleſtia ægrotantis, manifeſtatur demum vel poſt Anginam, vel poſt aliquam febrem ſanatam*.

Sine frigore, & rigore invadens febris continua, lenta, quæ a paſtu exacerbatur.) Non poſſunt autem vitia hæc diu pulmonibus inhærere, quin labes fluenti ſanguini communicetur, ſpiritus concitentur, cor, & arteriæ in crebriores contractiones cogantur, febris exoriatur, quæ (quoniam ſulphurearum, ac volatilium partium defectus adeſt, ſalinarum vero, atque acrium copia) lenta eſt, atque inſenſibili moleſtia ſe prodens. Cur vero poſt cibum exacerbetur, eleganter a Galeno, & Alexandro Tralliano explicatum eſt ſimilitudine calcis vivæ. Cum enim in calce adſint particulæ igneæ, quotieſcumque aqua eidem affundatur, aqua ipſa ingreditur poros, ac minima interſtitia calcis, particulas ignis exſolvit, caloremque inſignem excitat. Cum igitur chylus in ſanguinem ingrediatur, atque acer ille ſit, chylum ulterius ſolvit, unde igneæ, ſulphureæque particulæ exſolvuntur, quæ calorem progignunt. Huc accedit, ſoluto chylo, ac partibus ejus volatilibus exaltatis, cor, & arterias in crebriores contractiones agi, pulſum celerem, & frequentem fieri, hinc ſanguinem magis magiſque exagitari, caloremque cieri, quæ omnia ſubacto chylo miteſcunt.

Macies corporis, quæ &c.) Quoniam ſanguis acris, ac mordax eſt, ſuccum nutritium partibus apponendum abripit, pinguedinem abradit, hinc macies corporis, atque abſumtio ſequitur omnino diverſa ab illa, quæ fit in ſenibus. In illis enim contingit, quod fibræ corporis ob rigiditatem obſtructæ ſunt, ac propterea materiæ nutritionis ſuſcipiendæ ineptæ, cum in phthiſicis

ficis ſanguis acer eamdem abripiat.

VIII. *Dum tubercula ad maturitatem veniunt, febris ſupervenit inflammatoria &c.*) Tum ad maturitatem venire tubercula oſtendimus, cum ſeri, ac lymphę concretę in glandulis componentes partes ſenſim a ſe mutuo ſolvuntur, atque ſecedunt, ſubtiliores avolant, paulatimque corrumpuntur. Quę dum fiunt, acres, volatiles, ſuphureę particulę exaltatę, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſę agitationem, furoremque intendunt, unde febris, quę mitis prius erat, in inflammatoriam febrem mutatur, dolor acutus fit, cum prius eſſet obſcurus, & obtuſus, reſpirationis difficultas, tuſſis, aliaque ſymptomata fiunt majora.

Rigor quidem, & horripilatio &c.) Animadverſione dignum eſt, in hac febre cum extremos artus, tum univerſum corpus rigore, atque horripilatione affici; cujus phęnomeni ratio ex eo potiſſimum petenda eſt, quod inflammatis tuberculis ſanguis per vaſa pulmonum ęgre movetur, plurimum etiam langueſcit ejuſdem excurſus per univerſum corpus, ac pręſertim extremos artus longe a corde diſſitos, unde rigor. Pręterea pus a tuberculis ſuppuratis genitum, cum in bronchiis, & veſiculis pulmonalibus ſubſiſtat, bronchia eadem, & veſiculas vellicat, atque irritat, quę irritatio per mirabilem nervorum conſenſum totius fere corporis fibris communicata horripilationem excitat. Ex mutua frigoris, caloriſque acceſſione plerique minus docti in eam ſpem facile adducuntur, ut credant, febrem in periodicam intermittentem febrem mutari, bonum propterea ominari fas eſſe; quod dici vix poteſt, quantum a ratione alienum ſit, & obſervationibus accuratiorum practicorum.

IX. *Si hiſce tandem ſuperveniat ſputum purulentum, quod colore vario &c.*) Dum tubercula ad maturitatem veniunt, ſuppurantur que, confectoque pure diſrumpuntur, pus ejici per ſputum debere perſpicuum eſt. Quibus autem ſignis ſputum purulentum a lymphatico, ac catarrhali diſtinguatur, non eadem eſt omnium medicorum ſententia. Sunt enim, qui ſputum purulentum colore ipſius flavo ab aliis ſatis diſtingui poſſe arbitrantur; perperam tamen. Quot enim ſunt, qui phthiſi non laborant, & tamen ſputum ejiciunt flavum? Id maxime cachexia, & ictero laborantibus familiare eſt, quorum ſerum, ac lympha flavedine inficitur. Ad veritatem propius acceſſiſſe viſi ſunt, qui ſputum purulentum varii coloris eſſe, flavi ſcilicet, ęruginoſi, nigricantis, viridis, filamentiſque ſanguineis refertum cum Hippocrate ſtatuerunt.

Altera illorum opinio eſt, qui ſatis diſtingui poſſe putant ſputum purulentum a lymphatico, & catarrhali, ſi ſputum deſcendat in aquam, & in aqua tepida diſſolvatur. Verum ſi conſtet, id quoque contingere ſcorbuticis, ecquis ei tantum tribuat, ut valde ſperet, nunquam poſſe eodem decipi? Nempe ſerum, ac lympha ſcorbuticorum, eorumque ſputum ſalibus onuſtum eſt, qui non ſolum diſſolvendi vim habent, atque ſaponis ad inſtar facilem cum aqua mixtionem promovendi, ſed cum ponderoſi ſint, fundum facile petunt. Neque alterum illud Hippocratis experimentum, quod ſcilicet ſputum purulentum refertum cum ſit oleo craſſiore, ſi carbonibus accenſis immittatur, fœtidum odorem emittat, ita accipias velim, ut pro certo habeas imponere nunquam poſſe; datur ſiquidem ſputum lymphaticum, ac catarrhale maxime in cachecticis, ſcorbuticis, quod non ſolum carbonibus injectum, ſed vaſe collectum fœtidiſſimum eſt, ut propterea fœtere eorum animam dicamus. Illud maxime purulenti ſputi eſt acum argenteam nigredine inficere, perinde, ac ſi corroſiva arſenicali materie tractaretur, cum in catarrhali nulla affectio ſimilis contingat. Quod potiſſimum ex acredine ipſius tanta pendet, ut muſcę, aliaque inſecta, quæ eodem veſcuntur, perinde ac ſi arſenicalem liquorem hauſiſſent, internecioni dentur. Quamquam ne hinc quidem velim plus tribuas, quam par eſt, ſed omnia ſimul colligas, videaſque diligenter, an eadem in unum conſpirent: An ſcilicet ſputum varii ſit coloris, an carbonibus injectum fœteat, & aqua facile ſolvatur, & in eamdem deſcendat, an nigredine argentum inficiat. Quæ ubi contigerint, ſi non vera, veroſimillima ſaltem conjectura ſtatui poſſe facile judicaverim, purulentum eſſe ſputum, quod erat demonſtrandum.

Niſi forte in cyſtide colligatur, & vomica occulta fiat &c.) Sæpiſſime contingit, materiem, quæ diuturna mora in pus convertitur velut in cyſtide contineri, & vomicam, ſeu apoſtema efformari, nec pure, nec ſan-

ſanguine per os ejecto. Latere vitium hoc inter initia adeo clanculum, ut vix ulla ſui præferat indicia, adnotavit Tulpius (1) immo (quod mirabile prorſus eſt) teſtatur Cl. Williſius ſæpe in toto etiam morbi progreſſu febrem nullam eſſe, ac noviſſe ſe hominem, qui poſt diuturnam tuſſiculam, & levem lateris dolorem aliquando infeſtantem, repente diſrupta vomica, ac copioſo pure per tuſſim excreto, ut pæne ſuffocaretur, nec dum ipſum conficeretur, atque excerneretur per ſputum, febre laboravit. Nempe materies, quæ in pus convertitur, velut in cyſtide contenta, nullam fluenti per pulmones ſanguini labem communicat, unde nulla febris.

Urinæ copioſiſſimæ ſuperveniant, & pinguedo telæ araneorum inſtar &c.) Cum in ſanguine phthiſicorum dominentur ſales acres, qui butyroſas, & oleoſas ſanguinis partes ſolvunt, abraduntque, nutritium ſuccum ex nutriendis partibus, & per inſignes excretionum vias educunt, urina copioſiſſima excernitur, ſudores, vomitus, diarrhœæ, aliæque id genus evacuationes ſuperveniunt ſe invicem excipientes. Animadverſione autem dignum eſt, urinæ pinguedinem telæ araneorum inſtar ſupernatare, quæ eo copioſior eſt, & diutius durat, quo pinguius corpus exiſtit. Memorabile eſt quod narrat Sylvius de juvencula quadam femina, cujus urinæ tam copioſa innatavit pinguedo, ut in perfrigeratæ ſuperficie olei frigidi concreti, aut butyri inſtar comparuerit. Narrat quoque Fernelius (2) de bibulo quodam optimi corporis habitus, qui diebus circiter octo ex inſigni corporis mole, ad ſummam gracilitatem hac ratione perductus eſt.

Aphtæ in ore &c.) Ex ulcere pulmonum, quod ſenſim ſenſimque ad ſuperiora ſerpit, & laryngem ipſam, & pharyngem paulatim exedit, & corrumpit, apthæ, aphonia, deglutitionis difficultas, aliaque hujuſmodi funeſta ſymptomata ſubſequuntur.

X. *Phthiſis, quacumque tandem ex cauſa naſcatur, periculoſiſſimus morbus eſt.*) Phthiſim originalem, ſi cum ſymptomatica comparetur, curatu difficiliorem nonnulli prętendunt. Id quod ex eo potiſſimum repetendum eſſe putant, quod originalis plerunque ex præexiſtente graviſſima ſolidarum partium, vel fluidarum labe naſcatur, quę vix, ac ne vix quidem evelli poteſt: quod de ſymptomatica affirmari jure nequit. Verumenimvero cum utriuſque ſubjectum pulmo ſit, viſcus ſcilicet molle, ac reſpirationi, & ſanguinis circuitioni dicatum; ita ut volentibus, nolentibuſque, dormientibus nobis, ac vigilantibus continuo contrahi, diſtrahique, continuo moveri debeat, manifeſtum eſt, quacumque ratione affectum in priſtinum ſtatum reſtitui difficillime poſſe, ineptumque fere muneri ſuo organum conſtitui, unde ſanguinis motus liber, atque expeditus facile prohibetur, qui propterea non rite ſolutus, impurus redditus, tenellam pulmonum compagem pervadens, acres ibi, erodentes, crudaſque particulas deponit, quę altius in eos ſeſe inſinuantes, congeſtiones, tubercula, phthiſim originalem progignunt.

Quæ tenellos invadit, quæ hæreditaria &c. lethalis.) Ætatem, quę ad phthiſim diſponit, ut ſupra oſtendimus, definivit Hippocrates (3) a decimo octavo anno uſque ad trigeſimum quintum, quę ętas ſola ad pleroſque graviſſimos morbos profligandos opportuniſſima communiter reputatur. Itaque ſi phthiſi unus aliquis hac ętate corripiatur, parentes, amici pręſto ſunt, qui eumdem fulciunt, recreant, fovent, confirmant in eam ſpem facile adducti, ut credant, morbum mutatione ętatis debellatum iri. Qui dici vix poteſt in quanta obſcuritate verſentur. Obſervationibus enim compertum eſt cum certis, ac conſtantibus, tum multis, ac frequentibus, phthiſim hoc ipſo, quod ętatis flore invadat, multo periculoſiorem eſſe, brevioremque illa, quę ętate provectiori ſuccedit. Id quod non aliunde repetendum eſt, quam ex eo quod ętatis flore pulmo debilior, mollior, ac tenella magis compage prędituſ eſt, hinc facilius muneribus ſuis ineptum organum conſtituitur, atque ea ratione afficitur, qua opus eſt ad mortem ęgris inferendam. Graviorem adhuc efficiunt morbum ortus a parentibus ſimili morbo infectis, ac mala thoracis conformatio, cum ea ſit ſolidarum partium textura, ad quam immutandam oporteret totum hominem renovare, quod vix a Diis fieri poſſe minime veritus eſt pronuntiare Aretęus.

XI. *Quæ a tuberculis enaſcitur fieri incipientibus &c.*) Indicationes in phthiſi ab in-

(1) *lib. 2. obſ. cap. 10.* (2) *lib. 3. cap. 2. de urin.* (3) *7. aph. 8.*

infarctu pulmonum, vel a tuberculis nondum ad maturitatem perductis, quam apte elici ſolent, quam congrua, atque opportuna medicamenta ſolent adhiberi, ut ejus progreſſus ad deteriores alios gradus præcaveatur! Dici autem vix poteſt, quam raro optato fine potiamur! Ne autem potiri valeamus facit toties inculcata tenella nimis, ac mollis pulmonis textura, atque ejuſdem vitæ ſuſtentandæ neceſſarius uſus, reſpirationis ſcilicet, ac ſanguinis circulationis, ut cujuſcumque medicamenti vim facile eludat. Si quid igitur in hoc phthiſeos gradu ſperandum eſt, ſperandum eſt maxime futurum, ut tubercula ad ſuppurationem ocyſſime perveniant, ſicque vita licet non ſine incommodo diu protrahatur. Quæ enim ab iiſdem ſuppuratis fit in ulcus pulmonum degenerantibus, qua tandem arte curari, aut diu ægrorum vita protrahi poteſt?

XII. *Quanti periculi plena ſit vomicæ diſruptio &c.*) Non poteſt tam diu pus in cyſtide colligi vomicam, ac latentem abſceſſum efformans, quin demum eam acredinem nanciſcatur, qua fibræ tunicarum, quibus continetur, exedantur ſenſim, ſenſimque, ac corrumpantur. Rumpitur tandem vomica, diſrupta autem, & pure in bronchia, & veſiculas pulmonales effuſo ægros ſuffocatos dictum factum remanſiſſe obſervationibus præſtantiſſimorum virorum compertum eſt, Fernelii (1), Tulpii(2), Williſii, aliorumque. Saltem timori locus deeſſe nunquam poteſt. Ita hominem quemdam, cui repente diſrupta eſt vomica copioſo pure per tuſſim excreto, pæne ſuffocatum fuiſſe idem Williſius teſtatus eſt. In eodem diſcrimine verſatum fuiſſe Religioſum quemdam Patavii vidiſſe ipſe bona fide teſtor. Quod ſi diſrupta vomica æger aliquando exitio ſuo ſuperſtes maneat, conſumi tamen lente a febricula ſive ob pus, ſive ob ſanguinem per thoracis interiora effuſum teſtatus eſt Tulpius (3).

XIII. *Ubi primi gradus phthiſeos indicia ſe prodant, ſi &c. venæ ſectio inſtituatur &c.*) Ubi pulmones materia craſſa, ac viſcida infarciuntur, nemo eſt, qui non videat, eo nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut pulmones ab infarctu liberentur, tum materiæ ad eoſdem affluxus prohibeatur, tonus pulmonibus reſtituatur, atque hecticus febrilis calor temperetur. Ad primam indicationem abſolvendam principem obtinet locum venæ ſectio. Imminuta enim ſanguinis copia, ac ceſſante vaſorum diſtentione, cum validius, & fortius ſeſe contrahant, quod craſſum eſt attenuari contingit, quod hærens dimoveri, & circulo reſtitui. Quid quod detractione ſanguinis hecticus febrilis calor temperatur? Quod ſi ſuppreſſa aliqua evacuatio ſanguinis naturalis morbo occaſionem dederit, quid efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius venæ ſectione?

Conſer. Caſ. Donzel. vel ſimile &c.) Inter medicamenta, quæ humores ad pulmones affluentes avertendi vim habent, purgantia medicamenta recenſentur, a quibus alii omnino abſtinendum eſſe pugnaciſſime ſuſtinent. Ne diutius quam par eſt ſingulis quæſtionibus immoremur, paucis habeto. Si de purgantibus validioribus ſermo ſit, educunt quidem inſignem ſeri copiam, verum illud incommodi ſequitur ex illorum uſu, quod ſolidæ partes irritantur nimis, atque in vehementiores contractiones aguntur, humores vero tenujoribus, lęvibus, politiſque particulis eliminatis, craſſiores, acrioreſque fiunt, unde tuſſim exaſperari contingit, difficultatem reſpirationis augeri, maciem intendi, aut confirmari. Sola igitur lenientia locum habent, ceu quę primas vias abſtergendo, cavitatem inteſtinorum blande ſollicitando ſerum, lympham, ichoreſque ad eorumdem glandulas invitant, atque hac ratione a pulmonis eoſdem avertunt.

XIV. *Interim vero quotidie pillulæ ex gum. ammoniac. puriſ. &c.*) Sed viæ omnium convenientiſſimæ ad ſordes in pectore hærentes eliminandas ſunt urinæ viæ, ut a Baglivo, aliiſque accuratioribus practicis animadverſum eſt. Minima nempe eſt Renum diſtantia a pectore; ex trunco enim deſcendente Aortæ, ſimul ac diaphragma tranſcendit, arteriæ renales, ſive emulgentes naſcuntur, quæ ſanguinem pro ſeroſi laticis ſeparatione ad Renes adferunt. Qua minima diſtantia fit, ut urinis copioſe fluentibus, humores, qui in pulmonibus ſubſiſtunt, aliiſque medii ventris viſceribus, ab eodem facile deriventur, atque extra corporis confinia eliminentur. Ea igitur, quæ diuretica virtute pollent in omnibus mor-

(1) *path. lib. 5. cap. 10.* (2) *lib. 2. obſ. cap. 10.* (3) *lib. c.*

morbis pectoris ſunt convenientiſſima. Ad iſtorum vero ſelectum quam diligenter attendendum eſt. Non enim diuretica ex ſalibus lixivioſis, & acidis parata, cujuſmodi ſunt ſal tartari, tartar vitriolat. &c. locum habent, quippe quæ tuſſim exaſperant, & morbum augent, & confirmant, ſed illa quę balſamica potius vi, ac pulmonibus amica donantur. In horum cenſu veniunt gummata reſinoſa, ut ammoniac. benzoin. quæque his affinia ſunt, balſamum Peruvian. Tolutan. Copaiva. Therebint. quibus addendi millepedes, & crocus. Balſamica nempe corpora aciditate qua pollent blandiſſima laxatas pulmonum, ac renum fibras majorem in modum corroborant, eaſdemque amica titillatione ſollicitando ſeroſi laticis ſecretioni promovendę opportuniſſima exiſtunt. Animadverſione dignum eſt, urinas a balſamorum aſſumptione violaceo odore imbui, indicio ſatis manifeſto, nonnihil etiam reſinoſę ſuę ſubſtantię iiſdem communicare.

Si de millepedibus ſermo ſit, ſale quodam nitroſo conſtare creduntur, qui cum ſolidis partibus amiciſſimus, tum ſero, ac lymphę alicubi ſubſiſtenti, vel congeſtę per urinę vias extra confinia corporis educendę aptiſſimus exiſtit.

Crocum, cordis amicitia ſpiritus recreando, atque ejus vires augendo, ventriculi, eumdem roborando, & difficilem ciborum coctionem juvando, hepatis, ejus obſtructiones reſolvendo, icterum ſanando, uteri, menſes movendo, partum difficilem juvando, fœtum pellendo; tum maxime pulmonum, eoſdem a lenta, ac difficili materia liberando, ſerum acre, & irritans demulcendo, tuſſim ſedando clarum fecit: unde anima pulmonum a quibuſdam jure merito fuit appellatus.

Pillulę ex hactenus recenſitis corporibus compoſitę, ſunt fere pillulę illę adeo famoſę balſamicarum titulo inſignitę Cl. Richardi Mortoni, quarum efficaciam ad phthiſim tuberculoſam incipientem qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam.

XV. *Hiſce ineunte vere ſuccedant decoctiones ex ſarſ. peril. elect. radic. chi. &c.*) Multa ligna, quę ſudorifera vi maxima pollere, viſcidioreſque ſanguinis partes alicubi hęrentes reſolvere, acorem omnem pręſertim anxiorem corrigere communiter reputantur, ſolent nonnulli ad lympham ac ſerum in pulmonibus ſubſiſtens abſumendum, ne congeſtiones, & tubercula in iiſdem generentur, vel ubi eadem jam facta ſint, reſolvenda adhibere. Verum cautiſſime in horum uſu procedendum, cum calorem, & agitationem ſępe adaugeant, ac corpus majorem in modum exſiccent. Satius porro duxerim mitiora ſeligere, quę ſolvendi adeo, colliquandique vim non habent. Ejuſmodi ſunt ſarſ. peril. & rad. Chi. eorumque decocta, quibus ſi addantur quę nimiam efferveſcentiam humorum, fervoremque temperant, queque alibiles, miteſque ſuccos prębent, uti ſunt carnes juniorum animalium, ranarum &c. avenacea, hordeacea, decocta obtinentur Septhaliana fere methodo, quę dici vix poteſt, quam tuto, ac feliciter in ejuſcemodi morbis adhibeantur.

XVI. *Ardente Sirio aquæ B. Mariæ Virg. Aponenſes &c. vel etiam acidulæ Recob. &c.*) Aponenſes aquas differre ab aquis Beatę Marię Virginis in eo potiſſimum, quod illę majore ſulphure, & ſale ſcatent, experimentis Jo. Gratiani (1) compertum eſt. Eaſdem igitur plus minus ſanguineam maſſam lentis, viſcidiſque humoribus inquinatam, atque impeditam attenuando, vaſa pulmonum penetrando, impactoſque in iiſdem humores incidendo, corruptos, infectoſque eluendo, ac fibris qua fieri poteſt tonum reſtituendo, ad congeſtiones, & tubercula in pulmonibus pręcavenda opportuniſſima exiſtere ambigendum non eſt.

Acidulas vero aquas ratione ferreę venę, ac vitrioli ſpiritus, quo fœtę ſunt, in morbis pulmonum minus convenire plerique haud dubie affirmant. Vitrioli enim ſpiritus pulmonibus inimicus cenſetur, quatenus acrimonia veſiculas eorumdem labefactat, acetoſitate facile corrodit, vi vero adſtrictoria tonum ipſarummet partium immutando ineptum muneri ſuo organum conſtituit. Quę quamvis vere dicantur, ubi pulmones ipſi nimis tenelli ſint, & acribus, erodentibuſque particulis eorumdem ſubſtantię altius inſidentibus in convulſivas contractiones acti, exeſique, ſperati tamen effectus aliquando eveniunt, ubi phthiſis a flacceſcentibus pulmonibus exoriatur. Quippe qua ratione tonus iiſdem reſtituitur,

(1) *De therm. Patav.*

tur, ac viſcidę, lentęque ſordes inciduntur, atque abſterguntur, eadem & congeſtiones, & tubercula prȩcaventur. Quid quod Raymundus Jo. Fortis (1) etiamſi pulmonum ulcera exiſtant, acidularum uſum mirum in modum commendat? *Adventante*, inquit, *tempore quo aquæ acidulæ in valle ſolis enaſcentes opportunæ ſunt, quæ pulmonum ulceribus ſaluberrimæ, ac præſtantiſſimæ a nobis quandoque fuerunt expertæ, ad eaſdem, tamquam ad unicam ſacram anchoram confugiendum conſulimus; cui remedio ſi malum non ceſſerit, minus decoctis, lacti, aliiſque ejuſdem facultatis ceſſurum fore arbitramur.* Quamquam vero fateri licet, non deeſſe exempla phthiſicorum, quorum alii acidularum uſu in hydropem lapſi ſunt, ad ultimam alii neceſſitatem adacti. Immo ſi Benedictum Grundel in aquarum Roitſchenſium deſcriptione audimus, vehementer miratur, quod memoratus Jo. Fortis ſaluberrimas in Hæmoptycis, phthiſiciſque acidulas invenerit: *Quippe*, ait, *etſi tanto viro libentiſſime credam, ſimiles effectus ab acidulis vitriolatis in Italia ſecutos eſſe, nihilominus tamen noſtræ Roitſchenſes aquæ etiam vitriolo imbutæ, hiſce ſaltem Germaniæ locis id nolunt præſtare: utrum autem alibi præſtent, dum Venetias, Romam, & ad alia loca tranſportantur, nondum experiri potui.* Quibus nonnulli ad vehementer ſuſpicandum adducti ſunt, phthiſicos quos Jo. Fortis memorat, ulcere pulmonum vere non laboraſſe, ſed flacceſcentes pulmones, aut aliam ſimilem ægritudinem eoſdem exercuiſſe; his vero per Acidularum potum in ſanitatem reſtitutis, curatum per eas pulmonum ulcus deprædicaſſe, ut Cl. Jo. Gratiani (2) egregie animadvertit.

XVII. *Exercitationes corporis moderatæ, ac præſertim equitationes &c.*) Equitatione non minus certo phthiſim ab infarctu pulmonum pendentem curari, quam China-china febres intermittentes, a nonnullis creditur. Viſcera enim omnia, ac præſertim imi ventris majorem in modum concuti contingit, fluida omnia attenuari, fundi, atteri, materiem quæ vel in extremitatibus arteriolarum, bronchiorumque, vel in veſiculis hæret, dimoveri, & qua data porta extra corporis confinia per inſignes excretionum vias eliminari. Grates habendæ Cl. Sydenhamo practico feliciſſimo, quod præſtantiſſimum, atque efficaciſſimum ad morbum cæteroquin difficillimum profligandum unus inſtar omnium commendaverit: *Multi mihi ſanguine juncti tabidi, & phthiſici multum terrarum equo vectore peragrantes ex meo conſilio ſanitati ſunt reſtituti*, cum aliis medicamentis nihil ſe magis proficere potuiſſe teſtatus ſit. Plura videſis apud D. Sthal *in programmate propemſico inaugurali de novo ſpecifico antiphthiſico equitatione*.

XVIII. *Ubi tubercula jam facta ſint, victus ratio ex aven. hord. &c.*) Congeſtiones humorum in pulmonibus genitæ, ac tubercula jam facta difficillime reſolvi poſſe perſpicuum eſt. Illud igitur enixe curandum eſt in hoc phthiſeos gradu, ne tubercula inflammentur, ſuppurenturque, unde abſceſſus, atque ulcera pulmonum ſequantur. Neglectis igitur ſupra recenſitis remediis ea viſa ſunt convenire, quæ leves, molles, politaſque particulas in ſanguinem invehere habent, congeſtorum humorum in pulmonibus fermentationem, acrimoniam, inflammationem, atque abhinc prodeuntem ſuppurationem, atque ulcus prohibere. Inter alimenta refrigerantia non poſtremum obtinent locum ſemina cerealia multa, inter quæ ſemen hordei, avenæ, tritici, & alia hujus generis, quæ aqua facile aceſcunt, indicio ſatis manifeſto acidum quoddam mite, ac blandum in iiſdem contineri. Ob id potiſſimum inter refrigerantia recenſentur; blanda enim illa aciditate, qua pollent, humores acres, ſulphureos, alchalinos temperant, nimiam effervescentiam, fervoremque humorum compeſcunt, ſales acres irretiunt, obtundunt, ac ſanguini ipſi viſciditatem aliquam tribuunt, & corpus nutritio humore humectant carnes juniorum animalium, nec non ranarum, cancrorum fluviatilium juſcula, & hujuſmodi. Semina multa, inter quæ melonum, cucurbit. amygdalar. & ſimilia miti quodam blandoque oleo fœta ſunt, quod farinoſo principio adeo unitum eſt, ut aqua miſceri commode poſſit, unde lacteus emergit ſuccus, qui dici vix poteſt quam eximiæ virtutis ſit ad demulcendum, ad temperandum, ad refrigerandum.

Fercula Saxoniæ &c. nec non pulvis Halii Abbatis recens &c.) Prædictis muneribus opportuniſſima exiſtunt ex hactenus recenſitis

(1) *cent.* 2. *conſ.* 20. 27. 28. 30. (2) *Diſſert. de fonte Recobarii.*

tis compoſita multa, inter quæ ferculum Saxoniæ, pulvis Halii Abbat. Baſis nempe ferculi Saxoniæ eſt farina hordei in clibano non admodum toſta, quæ ita vel ſola paratur, vel adjectis amygdalis dulcibus decorticatis, radice chinæ, pulvere ranarum, & cancrorum calcinatorum, aut ſimilibus. Pulvis Halii Abbatis componitur ex ſeminibus multis, quæ miti oleo abundant, & inſipida ſunt, ex gummatibus, aliiſque ad involvendum, ac demulcendum aptiſſimis. Curandum eſt autem, ut recens ille ſit: Semina enim facile rancida fiunt, ideoque irritando potius, ac vellicando apta reddunturꝝ.

XIX. *Aquæ Nocerianæ in temperamentis fervidioribus, aduſtiſque, in frigidis &c. Beat. Virg. &c.*) Victus rationi aquarum uſus ſuccedit. Circa autem delectum aquarum ſedulo perpendendum eſt, quænam dyſcraſia ſanguinis, humorumque adſit, num ſcilicet calida, bilioſa, acris, an frigida, ut ajunt, pituitoſa, denſa. Id quod non aliunde melius innoteſcere poſſe crediderim, quam ex conſideratione temperamenti ęgrorum, atque habitus. Si enim temperamentum fervidum ſit, conſtitutio ægri, atque habitus aduſtus, ſiccus, ecquis ad credendum vehementer non adducatur, dyſcraſiam acrem, bilioſam, ut ajunt, morbo anſam præbere? Tunc vero aquæ inſipidæ nullo acri, ſulphureo, vitriolico principio imbutæ locum habent, inter quas eminent Nocerianæ, quæ æſtivo tempore ad inſtar cęterarum thermarum epotæ particulas calorificas hinc inde diluendo, diſſociando, & comprimendo efficiunt, ut motus earumdem aliquando deferveſcat, & bolari terra, quam continent, pulmonem egregie confirmant. E contra ſi peccet craſſities, viſciditas, & lentor humorum, id quod ex temperamento, ut ajunt, frigido, laxioriqueꝝ habitu facile conjicies, aquæ conveniunt ſulphureæ, inter quas eminent in agro Patavino aquæ Beat. Virginis, & Aponenſes, quæ præterquamquod vitioſorum ſalium vim temperant, atque infringunt, effrenes eorum particulas eluendo, diſſociando, aperiendi quoque, incidendi, infarctus, & congeſtiones reſerandi, pulmones balſamico eorum ſulphure corroborandi, ac tuberculorum ſuppurationem prohibendi facultatem a natura ſortitę ſunt.

XX. *Tandem ad lactis Aſinini, aut Muliebris &c.*) Ad tuberculorum inflammationem, ac ſuppurationem prȩcavendam Lac & victus rationi, & aquis palmam prȩripit. Lactis nempe efficaciam adverſus quamplurimos morbos qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam, id uno ore priſcis Medicis Hippocrate, Galeno, Celſo, & Arabibus, ac Recentioribus fere omnibus haud dubie affirmantibus. Lac fuiſſe antiquitus veluti ſacram anchoram, atque inter cętera remedia primatum obtinuiſſe teſtis eſt Martianus (1). Unde egregie Jo. Jac. Wepfferus in epiſt. ad Verzaſcham: *Certe divini aliquid in lacte latet. Antehac nunquam credidiſſem, niſi id ſenſibus comperiſſem. Vidi his meis oculis, quaſi novos homines inde factos fuiſſe.* Verbo dixerim, alimentis, quę facile a ſtomacho concoquuntur, celeriter diſtribuuntur, difficulter vero reſolvuntur, quibus utendum eſſe prȩcipit Hippocrates in phthiſi, quęque, uti Hippocratis mentem explicans Martianus (2) oſtendit, ſolidas habent partes, nexus tamen eorum debilis eſt, Lac præſtat. Quo loco minus mirari ſubit, Aretęum tantum tribuiſſe in hoc morbo Lacti, ut affirmare non dubitaverit (3), ſi multum hauriant Lactis, nullo alio egere auxilio.

Non autem quodcumque Lac in hac phthiſeos ſpecie opportunum eſt. Si enim de Vaccino ſermo ſit, craſſitie ſua, ac viſciditate infarctus, atque obſtructiones augere valet. Vaccino tenujus eſt Caprinum, tenuiſſimum vero, quodque ſeroſo humore maxime abundat, Aſininum eſt, docente Ariſtotele (4) & Galeno (5), ideoque Lacti cuicumque animantium prȩferendum Plinio teſte (6).

Ad lactis uſum quod ſpectat ſilentio prętereundum non eſt, ſolemne eſſe Medicis lacteam dietam in pleriſque morbis, phthiſi prȩſertim, & arthritide inſtituere, omni alio cibo prohibito. Cl. Sachſius in M. N. C. (7) methodum dietam lacteam in arthriticis inſtituendi tradit, qua quidem methodo Nobilem quemdam feliciſſime curatum fuiſſe teſtatur. Animadverſione autem dignum eſt, quod ipſe poſtea affirmavit, No-

(1) *com. in Hippocr. lib.* 1. *de morb. mul. p.* 205. (2) *lib. de veteri medicina.* (3) *lib.* 7. *de morb. chronic.* (4) *lib.* 3. *hiſt. animal. cap.* 26. (5) *l.* 10. *de ſimpl. facult. & lib.* 6. *de ſanitate.* (6) *hiſt. natur. ſect.* 33. (7) *D.* 1. *an.* 1. *obſ.* 141.

Nobilis hujuſce viri exemplo ab arthritide per Lac curati plurimos Magnates Pragę, Viennæ, alibique commotos eamdem curam in ſemetipſis tentaſſe, ſed non ubique pari felicitate, & tam fauſto eventu. In hujuſce rei confirmationem affert exemplum alterius cujuſdam Nobilis, qui non ſolum non diæta lactea inſtituta melius habuit, ſed tumorem, & inflationem periculoſam expertus eſt, ut abſtinere coactus fuerit. Celebris quoque eſt hiſtor. in iiſdem M. N. C. (1) viri cujuſdam, *qui ſub lactis cura ſuccubuiſſet, niſi intermiſiſſet; Omni enim carne abſumta, ſpiritibuſque diſſipatis tantam ſenſit debilitatem, ut morti proximus videretur*. Ego vero propter ſummam ſtultitiam ejuſmodi lactis uſum ad maciem profligandam opportunum cenſeam? Atque hanc quidem philoſophandi rationem obſervatio confirmat. Cum enim diętam lacteam in femina quadam macie conſumpta inſtituiſſem, eadem plane ſervata methodo, quam tradit Cl. Redius in ſuis conſultat., mirum eamdem non ſolum in dies ſingulos increſcentem deprehendiſſe, ſed vires ægrotantis feminę ſic collabentes, ut in imminentis mortis diſcrimine prope certiſſimo verſari videretur. Priore diæta convocata in dies melius habuiſſe, vires reſumpſiſſe, atque in priſtinum ſtatum reſtitutam fuiſſe vidi. Quæ res effecit, ut in poſterum corpora eorum, qui phthiſi, ac macie premuntur, ſolo lacte, omni alio cibo prohibito, nunquam pertractaturum eſſe, quidquid aliis videretur, pollicerer. Neque hujuſce rei ratio in arduo ſita. Natura enim, dum adhuc in utero clauſi verſamur, puriſſimum quemdam, ac limpidiſſimum ſuccum nobis ſubminiſtrat, ſimul ac in lucem editi, craſſiorem, viſcidioremque ea conſtanti lege, atque ordine, ut quo magis increſcit ętas, lac & ſpiſſius, & denſius evadat. Erumpentibus e gingivis dentibus incipit maſticatio, atque alimento opus eſt, quod ſolidum, compactumque ſit, tum quod membranę ventriculi fortiores, firmioreſque fiunt, tum etiam quod ſucci ejuſdem acriores, activioreſque. Dum triturationis alimentorum, ac digeſtionis vires augentur, quod in adoleſcentia contingit, cibis opus eſt craſſioribus, compactioribuſque, & ſic ſucceſſive uſque ad extremum ſenium. Dum igitur ſolo lacte veſci pueros, juvenes, ac ſenes curamus, naturę legibus ſanctiſſime ſancitis adverſamur, atque ab uno extremo ad alterum tranſitum fieri patimur, quę mutationes quam plenę ſint diſcriminis nos docuit Hippocrates, confirmavitque Bacco de Verulamio (2) inquiens: *Omnis mutatio licet in benignius mortem accelerat*. Quid quod otiante maſticatione ſaliva tantopere neceſſaria ad ciborum ſolutionem ſuperfluus quaſi, atque inutilis humor evadit, vis ſtomachi majorem in modum langueſcit, atque organa chylo perficiendæ dicata muneribus ſuis inepta redduntur? Confer- re Lac pueris experimur, dum dentibus carent, ac ventriculi membranæ, ſuccique debiles adhuc, infirmique ſunt, ac tunc ſolum virium robur acquirere, cum ad maſticandum pares fiunt, ac ſolidiores cibos, compactioreſque deglutiendos. Quinimo dum lacte veſcuntur infantes, convulſionibus, ſpaſmis, diarrhœis, torminibus, aliiſque morbis eoſdem dire exercentibus premi, a quibus lacte prohibito liberantur. Quæ ſane omnia protenſo quaſi digito commonſtrant, nulli unquam morbo, ac ne phthiſi quidem pulmonali ſolius lactis uſum opitulari poſſe. Niſi forte nullo alio cibo uſi ſint homines præter Lac, unde aſſuetudo novam in ipſis formaverit naturam: quo caſu haud inficias ire auſim, ſolo Lacte diu vivere poſſe, quemadmodum multos vixiſſe Plinius, Tacitus, Juſtinus, Cæſar, Salluſtius memorarunt. Quod confirmat Galenus (3) mentionem faciens cujuſdam viri, quī ultra centum annos vixit ſolo lacte nutritus. Et Ovidius (4) dum ait:

Lacte mero veteres uſi memorantur, & herbis,
Sponte ſua ſi quas terra ferebat.

Prandium concedendum, quod leve ſit ex aven. &c.) Carnes Animalium aut omnino relinquendæ ſunt, aut rarius, & parcius iiſdem utendum. Cum enim in hoc morbo febris lenta adſit, carnes vero non exiguo oleo, ac ſale volatili ſint fœtæ, facile in putredinem abeunt, unde certum noxæ periculum, nullum levamen ſperandum. Hac porro methodo ſimiles pulmonum morbos feliciſſime curatos fuiſſe obſervationibus virorum præſtantiſſimorum compertum eſt, ut liquet ex conſiliis Cl. Joſephi del Papa,

(1) *Dec.* 3. *An.* 3. *obſ.* 10. (2) *hiſt. vit. & mort.* (3) *lib.* 5. *de ſanit. tuenda cap.* 7. (4) *lib.* 4. *faſtor.*

pa , ac præſertim ſeptuageſimo quarto 2. voluminis .

XXI. *Si ructus acidi , tormina moleſta , nauſeæ ſuperveniant &c.*) Tot porro cautelis opus eſt in lactis uſu , ut niſi quamdiligenter eædem ſerventur , optato fine potiri minime valeamus . Præ cæteris ad prohibentia attendendum eſt, eiſque , prout res , & occaſio fert , occurrendum . Inter prohibentia recenſentur ructus acidi , tormina moleſta , vomitus , aliaque id genus, quæ indicio ſunt manifeſtiſſimo aceſcere in ſtomacho , ac corrumpi , unde nerveas fibrillas vellicando , pungendo graviſſima mala excitare valent . V. com. in aph. 5. cap. 8. lib. 1.

XXII. *Niſi vomitu aut diarrhœa ſiſtatur &c. Chocolatæ potum cum lacte paratum &c.*) Varia paſſim de chocolatæ uſu vago medicorum rumore circumferri ſolent . Nonnulli in ea ſunt opinione , ut credant , chocolatam corporis humores potenter reſolvere , eorum motum augere , caloremque inſignem in viſceribus concitare , ideoque in morbis , ut ajunt , calidis nullum levamen , certam noxam allaturam eſſe . Alii e contra ſuccum nutritium præbere pinguem , dulcem , quique humorum acrimoniam retundere valet , ac proinde refrigerare , ideoque phthiſicis , tabidiſque cibum eſſe ſaluberrimum . Opinionum varietas orta eſt potiſſimum ex conſideratione eorum , quæ Chocolatam componunt , inter quæ Cacao principem obtinet locum . Nihil porro eſt aliud Cacao , quam ſemen arboris cujuſdam , quæ ſponte creſcit in ſylvis diverſarum regionum Americæ , quæque ab incolis excolitur , cum maxima agriculturæ , divitiarumque eiſdem pars ſit . Arborem diligenter deſcribit R. P. Plumerius in ſuo Botanico Americano , ut propterea ſupervacaneum ſit hac in re diutius immorari . Illud autem ſilentio prætereundum non eſt , qui chocolatæ uſum altiori voce damnarunt in calidis , ut ajunt , morbis , ob id potiſſimum damnaſſe , quod Cacao calidum ſiccum exiſtimaverint . Quæ nom ina præterquamquod irriſit Hippocrates (1) ; accedit præterea , contrarium evinci , etiamſi nominibus ipſis inhæreamus . Illa enim refrigerandi vim habere omnes fere medici uno ore affirmant , quæ impedimento ſunt , quominus fluidæ noſtri corporis partes mutuo inter ſe allidantur , atteranturque , neve ſulphureæ , ſubtilioreſque particulæ ex reliquarum nexu ſecedentes , atque avolantes in univerſam maſſam diffundantur , ejuſque agitationem , furoremque inducant . Id quod potiſſimum præſtant , quæ blando mitique oleo ſunt fęta , quę pinguia farinoſa , ac gelatinoſa . In horum cenſu veniunt ſemina multa cerealia , juſcula carnium animalium pręſertim juniorum , & his ſimilia . Inter hęc tamen principem obtinet locum Cacao , non tantum ob nutritium rorem , qui in eo maxime abundat , quantum ob temperatam ejuſdem volatilitatem , quę ſpiritibus materiam prębet convenientiſſimam . Atque ubi cętera olea prę temporis diuturnitate rancida fiunt , atque empireumaticorum more acrimoniam nanciſcuntur , quę non ſolum guſtus organum feriunt , ſed acriter irritando , erodendoque idonea fiunt , pulcherrima olei Cacao laus eſt , lene , ac mite quamdiutiſſime ſervari , cum interim in ſtomacho facillime diſſolvatur , diſſolutum vero in regium ſanguinis flumen nullo virium ſuarum decremento propellatur . Si addas , Cacao aqua diſſolvi , nullus dubito , quin ad credendum vehementer adducaris , nihil ad refrigerandum Chocolata dari efficacius , aut pro ęgrorum opportunitate valentius . Et vero quanam meliori ratione nimius fervor temperari poteſt , quam ea removendo , quę ſolidas partes irritant , eaſdemque in validiores , vehementioreſque contractiones agunt , ideoque ſulphurearum particularum exſolutionem , atque abhinc prodeuntem ſanguinis , humorumque efferveſcentiam excitant ? Cum aqua diſſociare habeat , disjungere acres , vellicanteſque humorum particulas , atque per inſignes excretionum vias extra corporis confinia educere , prędictis muneribus obeundis chocolatam exiſtere opportuniſſimam manifeſtius quidem eſt , quam ut ullis rationibus poſſit comprobari . Ex aqua fortaſſe alię inſignes Chocolatę facultates accedunt , prę cęteris alimenta in ſtomacho ſolvendi , coctionem ciborum juvandi , appetitum reſtaurandi , fluiditatem ſanguini conciliandi . Quoniam vero oleum ſine ſalis interventu commixtionem aquę non patitur , conſultum viſum fuit ad Chocolatę potum obtinendum , ſaccharum addere , ſuccum videlicet arundinis cujuſdam ad extracti ſolidi con-

(1) *in lib. de vet. medic.*

conſiſtentiam redactum, qui ſal eſſentialis ejuſdem plantę aliquo modo dici poteſt, quamvis revera ſal non ſit, cum ad ignis flammam exardeſcat, neque oleum, cum commixtionem aquæ libentiſſime patiatur. Fit porro ſacchari additione, ut oleum Cacao ſaponaceam induat naturam, ac duplici principio fœtum evadat, ſale videlicet fixiore, & oleo intime unitis, unde facile ſeſe in denſam humorum texturam inſinuet, facile etiam cum aquoſis, ſalinis, oleoſiſque eorum partibus commiſceatur, atque hac ratione nutritio promoveatur, vires augeantur, ſpiritus majorem in modum recreentur. An Chocolatæ uſus damnandus, quod in ejus compoſitionem Cinnamom. Vanilla, Ambarum recipiantur, quæ cum admodum volatilibus, ſubtilibus, ac penetrantibus particulis ſint fœta, prædictum in viſceribus calorem, ſiccitatemque valeant progignere? Nemo id affirmaverit, qui illud vel leviter tantum mente volutaverit, Cacao craſſum ſuppetere nutrimentum, ſi crudum comedatur, ſanguinem inſpiſſare, ejuſque motum minuere, ſed ob nimiam, & craſſiorem pinguedinem ventriculum gravare, & obſtructiones gignere, ſi nimia copia ſumatur. Quare ſalubre conſilium idem aromatum permixtione, Vanillæ ſcilicet, & Cinnamom. temperare. Atque hęc quidem ea doſi adhibentur, qua Chocolata præ eleganti eorum fragrantia ſuavior, ac jucundior evadat, non ea qua & guſtus organum feriatur, atque humores potenter reſolvantur, eorumque motus augeatur, & concitetur. Niſi ita res haberet, non omnibus temperamentis, & ætatibus conveniret, neque pulcherrima ejuſdem laus eſſet nunquam nocere, quotieſcumque vel neceſſitate coacti, vel in gulæ voluptatem interdiu, noctu, poſt prandium, ante, homines aſſumunt.

XXIII. *Quod ſi febris intenſa cum calore inſigni ſubſequatur, juſcula pulli, aut carnis vituli &c*) Prohibet præ cæteris lactis uſum febris. Ita Hippocrates (1): *Lac caput dolentibus, & febricitantibus, & quibus præcordia murmurant, malum*; quocum convenit Oribaſius rationem hujuſce rei aſſignans: Ait enim (2): *Lac in iis, qui frigido ſunt ventriculo aceſcit; in iis vero, qui calido ſunt, in nidorem tranſit; ex quo fit, ut febricitantibus noceat*. Quare ſuperveniente febre ſalubre eſt accuratiorum practicorum conſilium, ſtatim ab eodem abſtinere, eique lac artificiale ſubſtituere, cujuſmodi ſunt juſcula ex ſeminibus oleoſis, & inſipidis, ex ſeminibus cerealibus, quæ blanda mitique aciditate donantur, ex carnibus juniorum animalium, ex ſero lactis, herbis ſale nitroſo abundantibus, ac balſamica, eaque mitiſſima virtute præditis, & aliis ſimilibus, quæ acribus, bilioſiſque particulis ex ſanguinea maſſa præcipitandis, ſimulque nimio fervori, & efferveſcentiæ compeſcendæ opportuniſſima exiſtunt.

XXIV. *Si ad ſuppurationem veniant tubercula &c.*) Ad febrem maxime attendendum eſt: notum enim eſt, febrem hanc comitari alternam frigoris, caloriſque acceſſionem, ut febri intermittenti ſimilis videatur. Quo ducti argumento minus docti non ſolum ægris gratulantur, quod febris mutatio contigerit, ſed eamdem chinachina pertractant, quod plane ridiculum eſt. Ideo enim frigus in extremis artubus, aliiſque partibus percipitur, quod ſanguis in pulmonum vaſis conſiſtens nequit in ſiniſtrum cordis ventriculum, indeque in Aortam ad capillares uſque arterias, maxime longe a corde diſſitas rapida circulatione trajici. Ea igitur, quæ hærentem in pulmonibus ſanguinem dimovere habent, liberum ejuſdem, atque expeditum excurſum promovere, viſa ſunt convenire. Hujuſmodi ſunt venæ ſectio, & antipleuritica medicamenta, de quibus dicemus ſequenti capite.

XXV. *Remittente febre, & ſputo purulento apparente, aer eligatur ſulphurearum &c.*) Nullum phthiſicum in quarto gradu conſtitutum ulcere pulmonum jam facto febre, tuſſi, & ſputo carere tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Ratione febris, ceu quæ paſſio, ut ajunt, calida, & ſicca eſt, refrigerantia conveniunt; ratione tuſſis, ceu quæ ab irritatione nervearum fibrillarum tunicas pulmonum conſtituentium exoritur, quæ ſedandi vim habent indicari videntur; ratione puris ab imo pectore affluentis abſtergentia, exſiccantia, conſolidantia; ratione maciei nutrientia. Quatuor igitur in hoc phthiſeos gradu ſeſe offerunt indicationes, quæ ſi ad trutinam, ut ajunt, ſedulo revocentur, vix, ac ne vix quidem abſolvi poſſunt. Etenim dum refrigeras, atque humectas, nec non oleoſas particulas

(1) 5. *aph.* 64. (2) *lib.* 4. *cap.* 18.

las ad nutriendum corpus in ſanguinem invehis, ulcus ſordidum reddis; dum tuſſim ſedas, ſputum ſupprimis; dum abſtergis, exſiccas, atque conſolidas, febrem, & maciem adauges. Quamquam quæ exſiccantia, quæ conſolidantia in pulmonum ulcere? ulcere nempe viſceris illius, quod circuitionis ſanguinis, ac reſpirationis muneri deſtinatum eſt. An exſiccari poteſt? dum perenni ſanguinis curſu abluitur? an conſolidari, dum continuo contrahi, conſtringi, diſtrahi, & expandi debet? Non inde tamen omni auxilio deſtituendus æger. Aer quidem inter ea, quæ adhiberi ſolent a medicis principem obtinet locum, quem temperatum in primis qualitatibus deligendum eſſe omnes fere Medici uno ore affirmant. Neque ad avertendos pleroſque morbos aeris mutationem, atque migrationem in alia loca plurimum facere tradunt fere veteres rerum Scriptores. Ita Hippocrates (1), *Commodum eſt*, inquit, *in morbis longis ſolum mutare*. Atque Avicenna (2) habet: *ex generibus medicationum eſſe mutationem de terra ad terram, & de aere ad aerem*. Celſus ipſe, *Peſſimum eſt*, inquit, *Cœlum quod ægrum fecit*: Ut mittam quæ & Seneca (3), & Strabo, aliique in eamdem rem prodiderunt, ut nullus ſuperſit dubitandi locus. Ad phthiſim vero ſpeciatim quod attinet, aere Ægypti feliciter eadem debellari credebatur a Veteribus: hinc navigatio Roma in Ægyptum ipſis commendabatur, ut liquet præ cæteris ex Plinio (4). Æque efficax cenſebatur ad phthiſim curandam Alexandriæ aer; hinc phthiſici, teſte Celſo, in Alexandriam mittebantur. Galenus vero phthiſicos ad Tabias mittebat, locum ſcilicet quemdam infra Neapolim, & Veſuvium montem, qui cum teſte Strabone inter occidentem æſtivum, & meridiem, ſuaviſſimam, ſiccamque Africi auram excipiat, efficaciſſimus ad eoſdem ſanandos reputabatur. Mare enim, ſi Ariſtoteli fides habenda ſit (5), ob placidas adſpirationes ſalubritatem facit inſignem, unde navigantes coloratiores exiſtunt, quam qui in paluſtribus degunt. Quid quod ob objectum illi Veſuvium, e quo reliquiæ materiæ, quæ jam igne conſumpta eſt, quæque exuritur, ad mare uſque perveniunt, atque ob conjunctum ſimul in imo ſinu alterum Veſuvii collem ignem continentem ſiccus, atque ſulphurearum particularum dives ea ratione evadit, qua opus eſt ad pulmonum ulcus conſolidandum, ut Galenus (6), & ex eo Baccius (7) teſtati ſunt? Ejuſdem fere efficaciæ cenſetur Neapoli aer, ut liquet ex Bartholino (8).

Quamquam vero, ut ingenue dicam quod ſentio, cave ne plus aeri tribuas, quam par eſt in phthiſeos curatione. Sæpiſſime enim contingit, aeris mutationem ſepulchri mutationem excipere. Addit ſolum vim animis ad alacritatem quamdam incredibilem illa cogitatio, aeris mutatione profligari morbum debere, quod dici vix poteſt, quantum revera curandis morbis tribuat. Apte cadit in rem Ciceronis locus, qui ad Gallum (9) ſcribit: *Cum decimum jam diem praviter ex inteſtinis laborarem, fugi in Tuſculanum; ſed viſa eſt mihi vel loci mutatio, vel animi etiam relaxatio, vel ipſa fortaſſe jam ſeneſcentis morbi remiſſio profuiſſe*. Hinc minus mirari ſubit, pleroſque ab iis locis tamquam infenſiſſimis cavere, ad quæ alii tamquam ad aſylum ſe conferunt. Quod præ cæteris adnotavit Cl. Williſius, qui de phthiſi, atque aere Londinenſi loquens, *Ita*, inquit, *propter ejuſdem morbi ſanationem, dum alii hanc Urbem quaſi barathrum vitant, alii huc tamquam ad aſylum ſe conferunt*. In his enim plus boni fiduciam, quam mutatam regionem, atque aeris ſalubritatem operari certo certius habendum.

Suffumigia fiant intra cubiculum ex ligno rhodio, baccar. juniper. &c.) Suffumigia in hoc phthiſeos gradu prodeſſe plurimum reputantur, quod viribus integris ope inſpirati aeris ad affectas partes perveniunt, eaſque ea ratione afficiunt, qua opus eſt ad ſalutem. Deſumuntur eadem ex iis, quæ balſamica vi pollent: quorum in cenſu veniunt ligna multa, uti rhodium, quod per deſtillationem oleum dat longe ſuaviſſimum, cujus uſus inter balſama ſuaveolentia commendatiſſimus eſt. Balſamica quoque virtute pollet Juniperus, ac præfer-

(1) *lib.* 4. *Epid. ſect.* 5. *t.* 19. (2) *lib.* 1. *tit.* 4.
(3) *De tranquillitate animi. c.* 15. (4) *lib.* 5. *Epiſt.* 19.
(5) *in primo problem.* (6) *meth. med.* 5. (7) *de therm.*
(8) *de peregr. med.* (9) *lib.* 7. *epiſt.* 26.

ſertim ejus baccæ ſubtili, ac penetranti oleo, odoriſque fragrantia fętæ, quod nervos roborat, & urinam, quod omnibus balſamicis ſolemne eſt, inſigniter movet. Balſamica hæc virtus maxime elucet in reſinoſis gummatibus fragrantibus, & ſuaviſſimo oleo prædítis, quæque ad balſama, quæ benigna nobis natura elargitur, ſolida, & ſicca referuntur, quorum in cenſu veniunt Maſtiche, Myrrha, Benzoe, & alia innumera ex arboribus balſamiferis ſauciato cortice ſtillantia, quæ humidioribus particulis æſtu ſolis ſublatis ſolideſcunt. Sed de his quoque plura inferius dicemus. Ex his omnibus parantur ſuffumigia tantopere commendata adverſus phthiſim, quorum exempla plurima videri poſſunt apud Galenum, Sennertum, Riverium, Williſium, Bonetum. Sed illud quoque diligenter caveas velim, ne plus iiſdem tribuas, quam par eſt. Licet enim haud inficias ire auſim, aerem ſulphureis, ac reſinoſis particulis fœtum roborando prodeſſe poſſe; ne tamen ulceribus abſtergendis, exſiccandiſque aptus ſit, facit potiſſimum, quod vel ad ultimas uſque fibras cavi pulmonum, in quibus extant aperta ulcera, non pervenit, vel ſi pervenit, iiſdem non adhæret, unde ineptus fere muneribus prædictis obeundis conſtituitur.

XXVI. *Alimenta ſint avenacca, hordeacea, carn. junior. animalium &c.*) Inter ea alimenta, quæ facile a ſtomacho concoquuntur, celeriter diſtribuuntur, difficillime vero reſolvuntur, principem obtinere locum lac ſupra oſtendimus. Modo quoniam eadem alimenta in hoc phthiſeos gradu omnium fere accuratiorum practicorum conſenſu quibuſcumque medicamentis palmam præripiunt, quæri a Medicis ſolet, utrum dięta lactea in eodem conveniat. Alii quidem illud eſſe alimenti genus affirmant, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperari poſſit, id ab uno lacte ſperari jure poſſe confidant. Ita Proſper Alpinus (1) in exulceratione pulmonum, & inde facta tabe lactis uſum miris laudibus extollit. Ac Cl. Frider. Hoffmannus teſtatur ſe phthiſicos contumaci tuſſi, febre, puris, & materiæ viſcidæ ſputo, ſumma tabe conſumptos ſolo lactis uſu in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituiſſe. Alii e contra non ſolum lactis uſum non commendant in phthiſi ab ulcere pulmonum, ſed ab eodem abſtinendum eſſe pugnaciſſime ſuſtinent. In tali enim phthiſeos ſtatu adſunt ſalivationes, ſudores, diarrhœæ ſe invicem excipientes, quæ a colliquatione maſſæ ſanguinis ortum traducunt; nec non febris cum calore conjuncta, quæ omnia impedimento ſunt, quominus Lac exhiberi tuto queat. Nempe principiis maxime obſtandum eſt, antequam pulmones exulcerentur, ut præ cæteris docuit Celſus (2) inquiens: *Si vera phthiſis eſt, inter initia protinus occurrere neceſſarium eſt; neque enim facile hic morbus, quum inveteraverit, evincitur. Inter initia vero*, ſubdit ibidem, *ſicut in omnibus longis, difficilibuſque febriculis, lac recte dari poteſt.* Febriculis, inquam, quæ tuberculis nondum ſuppuratis, phthiſicis contingunt, in quibus lac tuto exhiberi poſſe docuit Hippocrates (3). Qui ita ſentiunt, obſervationes illorum, quibus compertum ſe habuiſſe teſtantur, extrema fere macie conſumptos lactea dięta fuiſſe curatos, tanti faciunt, quanti poſſunt, ac debent. Eo enim facile adducuntur, ut credant, ad extremam quidem maciem perveniſſe, ſed ſine ſuppuratione tuberculorum, ſine ulcere pulmonum, ac purulento ſputo. Idque facile iis accidere potuit, qui inter phthiſim univerſalem, & particularem a pulmonum læſione pendentem nullum intereſſe diſcrimen falſa opinione adducti haud dubie affirmarunt. Quare aliis alimentis, nec immerito, utendum eſſe præcipiunt, quæ magnam habent cum lacte affinitatem, uti ſunt avenacea, hordeacea, aliaque recenſita aph. 8.

XXVII. *Aqua calcis s. a. pp. &c.*) Quamvis abſtergentia, exſiccantia ulcus pulmonum nulla dari ſupra oſtendimus, nihil eſt tamen, cur ea non adhibeantur, quæ prædictis muneribus obeundis apta cenſentur. Inter hæc aqua calcis vivæ tertiæ extinctionis eminet, quæ in hunc fere modum paratur. ℔. Aqu. com. calent. lib. x. Calc. viv. recent. unc. v. M. & repone in loco quieto per horas ſex, dein effuſa aqua tantumdem limpidæ affunde calci, id denuo repetendo pro tertia vice. Tum vero per decantationem pars cla-

(1) *de medic. method. lib.* 8. *cap.* 7.
(3) 5. *aph.* 64.
(2) *lib.* 3. *cap.* 22.

clarior eliciatur pro uſu dicto . Affuſio aquæ calci vivæ fit , ut ſubtiliſſimum ejuſdem , volatiliſſimum , atque igneæ quaſi naturæ principium a valde fixo , & terreo ſejungatur , ac notabilem acrem ſaporem aquæ conciliet : Si acidum aquæ calcis affundatur , in ſal medium amaricans abit , tamen non coagulatur , ſed fluidum remanet. Ex his liquet , aquam calcis vivæ alchalino principio valde penetrante fętam eſſe , quod tamen repetita aquæ affuſione mirum in modum miteſcit , atque humores acidos pulmonum ſubſtantiam exedentes cicurare , puris nimis lenti , ac difficilis grumos diſſolvere , atque excretioni aptum reddere valet , demum leniter irritando vivificare , ut ulcera impleantur , quod opus ſolius naturæ eſt , exſiccare demum , ut claudantur .

XXVIII. *Inter balſamica pillulæ ex balſamo Tolutan. , extract. fl. hyperic. &c.*) Quid intelligendum ſit nomine balſami quæſtio eſt . Si Veteres conſulamus , appellabant Opobalſamum liquorem quemdam , qui ex plantula quadam non admodum procera folia liguſtri , vel cytiſi referente extillabat : oleoſus liquor erat odoris fragrantiſſimi , ac ſuaviſſimi , & ſaporis penetrantiſſimi . Hujus plantulæ notæ characteriſticę a Medicis ignorantur , ſi excipias Proſperum Alpinum , qui eamdem in egregio tractatu de plantis Ægypti deſcripſit . Cum vero Antiquorum Opobalſamum deſideretur , (nam quod venditur pro opobalſamo ex balſamo Peruviano , Benzoe , & Storace confectum , merito dubitatur , ut Pomet (1) oſtendit) ea quę eaſdem habent notas , & affectiones balſamorum titulo inſigniuntur . Omnia igitur , quę oleo ſubtiliſſimo , ac penetrantiſſimo ſcatent , quę vires recreandi ſpiritus habent , cujuſmodi ſunt illa , quę odore fragrantiſſimo , ac ſuaviſſimo ſunt prędita , balſama merito dici ſolent . Huc ſpectant ſucci reſinoſi tum liquidi , tum exſiccati , qui odore pergrato , & viribus ad Opobalſamum accedunt : Huc ſuccus ille reſinoſus ex arbore quadam Peruviana effluens , ideo balſamum Peruvianum dictum , cui ſimilis eſt ille , ex alia planta extillans provincię Tolù , ideo Tolutanum appellatum , uti pariter ille ex arbore Copaiba Piſon. ſeu ut alii balſamifera Braſilienſi ideo Copaibę , ſeu Braſilienſis balſami titulo inſignitum : quibus palmam prępripit illud e Mecca , ſeu Conſtantinopolitanum , quod adeo rarum eſt , ut niſi per Magnates quibus dono datur , ad nos adferatur , quod verum Opobalſamum Ægyptiorum adeo exquiſite ſecundum omnes notas refert , ut illud idem revera eſſe plerique ſuſtineant . Mitto theribintinam , aliaſque id genus reſinas liquidas ex arboribus cortice ſauciato ſtillantes . Ad ſuccos reſinoſos ſolideſcentes pertinent Olibanum , gummi animè , benzoe , Styrax , Myrrha , Maſtiche , aliique ſucci , qui ex arboribus ſauciato cortice ſtillantes , humidioribus particulis Solis radiis conſumptis , exſiccantur . Viribus ad balſama accedit ſuccus mineralis concretus ſulphur , & ex his compoſita multa , uti flores ſulphuris , balſamum ſulphuris therebintinatum , aniſatum , Hombergianum , & alia ejuſmodi . Hęc porro omnia cum aciditate blandiſſima donentur , amica titillatione , uti fere omnium viſcerum , ita ſpeciatim pulmonum fibras ſollicitant , ſtimulant , ac corroborant , ſalia acria mordacia , quæ tenellam eorumdem compagem exedunt , corrumpuntque , cicurant , tandem ad materiam purulentam reſolvendam , & partis unde illa fluit reſtitutionem opportuniſſima exiſtunt . Illud tamen hoc loco animadvertendum eſt , mitiora tantum , quæque non adeo calefaciendi virtute pollent , in hoc phthiſeos gradu adhiberi poſſe , ne febris , & macies augeatur . In horum cenſu venit balſamum Tolutanum , quod & Peruviano , & de Copaiva præſtantius cenſetur , ceu quod nulla acrimonia donatur , ideoque vel in potionibus ſolutum ab ægrotantibus commode hauriri poteſt . Hinc apud Anglos frequentioris eſt uſus in phthiſi , & ulceribus internis . Si de extracto florum hyperici ſermo ſit , balſamica vi , eaque mitiſſima , & non admodum calefaciente pollet , utcumque nonnulli affirment , in hyperico , aliiſque ſimilibus plantis , ut veronica , hedera terreſtri , ſulphureas partes cum ſalinis arcte conjunctas eſſe , ut ſanguinem exagitare , ac commovere valeant . Quid aliud olibanum præſtat , quam ut acriores ſuccos , & lympham exedentem temperet , ac demulceat ? Non ſolum in ulceribus pulmonum tuto adhiberi poteſt citra inflam-

(1) *in hiſtoire des drogues* .

ſlammationem , ſed in ipſa ipſorum pulmonum inflammatione. Ita adverſus pleuritidem præſertim epidemicam tamquam ſingulare ſpecificum deſcribit Quercetanus (1), eoque Riverius (2) teſtatur multos ex pleuritide , qui in mortis diſcrimine prope certiſſimo verſabantur , ab Orci faucibus ereptos fuiſſe . Simili fere virtute donantur gum. animè , & alia hujuſmodi , ex quibus conficiuntur pillulæ tantopere commendatæ a Cl. Cyrillo in ſuis conſultation. adverſus phthiſim , quarum uſu nihil unquam ſe deprehendiſſe , quod earumdem uſum damnare potuerit , teſtatus eſt. Syrupus quoque therebint. cum parum ejuſdem ſubſtantia ſit ſaturatus , adhiberi tuto poteſt .

An oculis cancrorum &c.) In oculis cancrorum arte ſua in principia reſolutis totam hecticæ , ac tabis curationem ſitam prætendit Helmontius. At dolendum , arcanum hocce inter tenebras latere voluiſſe . Qua enim arte reſolutio iſthæc fiat , poſteris ſcriptum minime reliquit .

Antihectico Poterii &c.) Petrus Poterius Medicinam Bononiæ ſumma cum laude , & maxima ægrorum utilitate fecit , mirabileſque curationes a ſe factas narrat in obſervationum centuriis , quas evulgavit . Multa arcana ſibi ſervabat , dum viveret , quibus ſe mira præſtitiſſe teſtatus eſt. Inter hæc eminet famoſum illud antihecticum dictum , quod diu latuit : priuſquam enim inſigni Reipublicæ Medicæ damno triſti fato hominibus eriperetur , conficiendi artem amico cuidam , quem vehementer adamaverat , reliquit , ut magno pretio venderet . Tandem in manus hominum venit . Mirum autem nihil aliud fuiſſe , quam antimonium diaphoreticum , diligentius tamen præparatum . Cui ſane tantum tribuendum , quantum calci cuidam abſorbendi vi prędite . Reliqua arcana latent . Quo loco mirari ſubit , Cl. Frid. Hoffmannum in annotationibus , atque additamentis in Poterium utiliſſimis pariter , ac curioſis , chymicum dexterrimum , ſolertiſſimumque , ſi quis alius , in tanta re mancum fuiſſe .

Antimon. crudo &c.) Antimonio crudo dulceſcere humores , & corpus majorem in modum nutriri , ac pingueſcere compertum eſt. Leonardus a Capua cum medicamenta fere omnia altiori voce damnaverit , & e medio , quantum illi fas fuit , tollere conatus ſit , quam mira res videtur , quod antimonii crudi uſum laudaverit ! Si quis maciei , ac tabi phthiſicorum debellandę forte arbitretur eſſe opportunum (nec deſunt , qui id haud dubie affirmant) perpendat quam diligenter , eadem pulmonum infarctum , aut tubercula , & lapideas concretiones , aut abſceſſus , atque ulcera ſequi . Si ſingulis indicationibus abſolvendis in quocumque phthiſeos ſtadio opportunum exiſtere deprehendatur , haud inficias ire auſim , in phthiſi pulmonali adhiberi poſſe . Ecquis vero id ſe deprehendere poſſe confidat ?

CAPUT IV.

De Peripneumonia , Pleuritide , Empyemate &c.

I. *QUotieſcumque pulmonum ſubſtantia inflammatione corripitur , Peripneumonia exoritur ; ſi exterior , ac membranoſa eorumdem pars , Pleuritis vera ; ſi externæ tantummodo thoracis partes , ſeu intercoſtales Muſculi , Pleuritis ſpuria .*

II. *Cauſa proxima eſt ſanguis in vaſis ſanguiferis earumdem partium vel ſegniter motus , ac fere ſubſiſtens , vel ejuſdem in lymphatica lateralia effuſio .*

III. *Remotæ ſunt vaſorum laxitas , & atonia , vel contra adſtrictio nimia , plenitudo ſanguinis , craſſities , viſciditas , & lentor , ejuſdem acredo nimia .*

IV. *Cauſæ procathartice ſunt exercitationes corporis violentæ in aere frigido , venti auſtrales , boreales , aer pravis qualitatibus infectus .*

V. *Signa Peripneumoniæ ſunt febris continua acuta , quæ ut plurimum cum rigore incipit , eamque magna urinæ tenuis excretio comitatur , deinde ipſius rubedo ſequitur cum pulſu celeri , frequenti , parvo , atque humili , maxima ſpiritus difficultas , dolor pectoris gravativus , profundus , qui ſternum verſus ſpinam premere videtur , quandoque nullus , niſi*

(1) *in pharmac.* (2) *in obſervat.*

nisi tussis apprehendat, quam sequitur sputum ex imo pectoris sæpe sanguineum, sæpe flavum, aut alterius coloris, genarum rubor.

VI. Signa pleuritidis veræ sunt febris continua acuta, quæ cum rigore ut plurimum incipit &c. cum pulsu duro, respiratione minus difficili, ac crebra, dolore punctorio pectus, latera, scapulas, spinam extorquente, tussi inter initia ut plurimum sicca, quæ tamen humida fit cum materiæ lymphaticæ, flavæ, aut alterius coloris, sæpe cruentæ excretione per sputum.

VII. Signa pleuritidis spuriæ sunt tumor externas partes occupans, dolor qui ad tactum exacerbatur, tussis nulla, difficilis decubitus in latere affecto, febris interdum exigua, interdum nulla.

VIII. Quicumque febre acuta detineatur, ac difficili respiratione, nullo manifesto pectoris dolore, nisi decumbat in dextero, aut sinistro latere, & fortiter respiret, at tussiat, eum pleuritide occulta laborare pro certo habendum.

IX. Si pulsus, qui antea durus, mollis fiat, ac parvus, dolor, qui acutus, & pungitivus in obtusum, & gravativum mutetur, permanente eadem febre, aucta difficultate respirationis, malum. In peripneumoniam enim facile pleuritis transit.

X. Nisi in quatuordecim diebus, aut intra vigesimum secundum diem cesset morbus, ac symptomata, quæ prius mitescere videbantur, denuo exacerbentur, febris, quæ continua erat, homotona, in periodicam mutetur æmulantem febrem tertianam vagam cum rigore, & horripilatione invadentem, in suppurationem abire inflammationem suspicandum est.

XI. Si respiratio difficilis, ponderis, fluctuationis, & molestiæ sensus, dum corporis situs mutatur, tumor in medio ventris, febricula continua sub noctem ingravescens, vigiliæ, inquietudo hisce superveniant, Empyema factum esse certo certius habendum.

XII. Si dolor citra causam improviso remittat, respiratione interim faciliori, parva tamen, debili, pulsu parvo, molli, humili, ac valde celeri supervenientibus, sputo livido, viridi, aut nigro apparente, brevi hominem periturum prænuntiant.

XIII. Pleuritide, aut peripneumonia laboranti alvi fluxus superveniens cum levamine, nec sputum supprimens, salutaris. Si secus res habeat, plerunque lethalis.

XIV. Simul ac pleuritidis, aut peripneumoniæ indicia appareant, venæ sectio in brachio lateris oppositi lateri affecto imperanda, in mulieribus postea in pede, tandem in affecti lateris brachio bis, terque, si febris, dolor, difficultas respirationis urgeant, viresque constent, primis diebus iteranda.

XV. Cave, ne virium debilitas ex suffocatione, debilitatis ex resolutione specie imponat. In illa enim pulsus varius, confusus, inæqualis est, in hac vero parvus, languidus, ac tactui facile cedens, & frequens cum reliquarum actionum languore.

XVI. Sputo sangnineo, vel lymphatico apparente cum levamine symptomatum, tutum non est sanguinem mittere.

XVII. Multo minus tutum est, venæ sectionem usque ad coloris mutationem repetere.

XVIII. Quæ dum fiunt, fomenta ex floribus malvar. mellilot. verbas. fol. malvar. pariet. branc. ursin. lacte decoctis, & vesicæ inclusis, vel seminibus lini butyro recenti in sartagine frixis, calida sæpius dolenti parti admovenda.

XIX. Oleum etiam amygdalar. dulcium s. i. r. e. ad unc. v. circiter exhibendum, bis, terque si doloris acuties, pulsus durities, tussis sicca urgeant, decursu morbi repetendum.

XX. Oleum semin. lini recentissimum eximiæ pariter virtutis est.

XXI. Decoctiones theiformes fol. malvarum tussilagin. flor. papaver. errat. sambuc. copiosæ & calidissimæ propinandæ cum sequenti pulvere.

℞. Stib. diaphoret. mandibul. luc. pisc. dent. apr. s. p. a. ʒ ii. flo. papaver. rubr. s. pul. ʒ i. M. f. s. a pul. detur ad ʒ .s. mane, & vespere quotidie.

XXII. Hisce succedant gelatinæ Corn. Cerv. in aqu. Scabios. Card. Sanct. aut simili paratæ, jusculis solutæ sæpius in die exhibendæ; nec non ubi validius dissolvendum sit, boli ex sanguin. hircin. spermat. cet. a ℈ i. camphor. ras. gr. iv. cum extract. Scabios. vel Card. Sanc. q. s. paratibis, terque in die propinandi: imperando ut æger decoctiones theiformes Scabios. Bellid. minor. calidissimas, & copiosas superbibat: vel si boli ægre deglutiri queant, sequens mixtura. ℞. Aq. suc. Card. S. Scabios. Bellid. min. Papave. errat. a. unc. ii. Sanguin.

hir-

hircin. ſtib. diaphor. dent. apr. a ℈ i. Bezo. orient. vel occident. ℈. s. Syrup. card. s. vel Papav. errat. ℥. ii. M. pro duabus vicibus mane, & veſpere calida exhibenda.

XXIII. Veſicantia quoque, præſertim ubi res ſit cum ægro laxioris habitus, ſpirandi, & excreandi ſputi tenacis difficultate ſecundo, quarto, quinto, ſeptimo, & ultra die ſuperveniente, coxis applicanda, aut tibiis.

XXIV. Quo tenacia, ac viſcida ſputa facilius educantur, lambitiva ex aquis malvar. violar. vel aq. decoct. hord. liquerit. aut ſimilis unc. vi. cum ſyrup. de ibiſc. unc. i. s. apprime conveniunt. Sputo nimis tenui, atque acri exiſtente ſequens in uſu ſit. ℞. Amyl. tritic. pul. ℥ ii. aqu. flor. violar. unc. vi. coq. leni igne ſemper miſcendo uſque ad conſiſtentiam julepii. Refrigerato vaſe adde ol. Amygd. dulc. r. e. ſyrup. de pom. a unc. i. M. cap. cochleatim.

XXV. Ubi Empyematis facti jam ſigna appareant, nihil magis curæ, cordique ſit, quam ut ſputum, aut urina promoveatur. In hunc finem decoct. heder. terreſtr. ad unc. vi. cum ſyrup. therebint. unc. i. quotidie exhibeatur; hydromel pro potu ordinario præſcribatur.

XXVI. Suffitus intra cubiculum fiant ex lign. rhod. radic. cyperor. gum. animè, juniper. igni impoſitis.

XXVII. Hiſce fruſtra adhibitis, quid experiundum præter paracenteſim, aut cauteria inter unam, & alteram coſtam admovenda?

CAPUT IV.

De Peripneumonia, Pleuritide, Empyemate &c.

I. *QUotieſcumque pulmonum ſubſtantia inflammatione corripitur, Peripneumonia &c.*) De loco in Peripneumonia, & Pleuritide affecto, magna eſt inter Medicos controverſia. Alii ſiquidem utriuſque morbi ſedem pulmonem eſſe arbitrantur, alii eam eſſe inter Pleuritidem, & Peripneumoniam differentiam, quod in illa ſola Pleura, in hac pulmones inflammatione corripiantur. Priorem ſententiam tenuit Hippocrates, qui (1) Pleuritidis nomine non aliud intelligendum eſſe ſtatuit, quam unius tantum lobi pulmonum inflammationem; peripneumoniæ vero utriuſque. Cui adſtipulari viſus eſt Cælius Aurelianus (2), qui Peripneumoniam *eſſe tumorem in toto pulmonum corpore, pleuritidem vero tantummodo in ejus parte pronuntiavit*. Hos Moderni fere omnes ſequuti ſunt. Ita Georgius Baglivus (3), *Primo itaque*, inquit, *ſciendum, differentiam eſſe inter lateris dolorem, & inter pleuritidem; hæc enim inflammatio pulmonum eſt*. Si Frider. Hoffmannum audimus, non aliam pariter eſſe putat inter pleuritidem, & peripneumoniam differentiam, quam quod *Pleuritis eſt inflammatio pulmonum magis ſuperficialis, peripneumonia vero altior, ac profundior*. Quod egregie aliis verbis ſignificavit Jo. Baptiſta Mazinus (4) inquiens, *pleuritidem a peripneumonia ratione loci tantummodo differre, eo quia in legitima pleuritide in minoribus præcipue, minimiſque pulmonalium canalium ſectionibus ſanguinis motus impeditur; in peripneumonia vero in majoribus quoque canalibus lenteſcit*. Opinionem porro ſuam magni doctique viri confirmant hoc præcipuo argumento. Si pleuritis ex pleuræ inflammatione oriretur, perpetuo, ac conſtanter in pleuritide demortuis pleuræ inflammatio cadaveris ſectione anatomica inſtituta deprehenderetur; atqui obſervationes contrarium evincunt; ergo pleuritidem ex pleuræ inflammatione exoriri dicendum non eſt. Ita Platerus (5), Hoechtædterus (6), Lælius a Fonte (7), Tulpius, Carolus Piſo, Harderus, Bonetus, aliique in pleuritide interemptis inflammatos pulmones ſe deprehendiſſe teſtati ſunt; ut mittam Cl. Zechium (8), qui præ cæteris id expreſſe ſignificavit quo loco, *Lateris*, inquit, *dolor magna ex parte ad pulmones pertingit, raro autem ad membranam coſtas ſuccingentem; cum in pluribus corporibus poſt mortem diſſectis ægrotantium, qui communiter, ac certo pleuritide periiſſe judicabantur, non membranam affectam fuiſſe, ſed pulmones obſervarim cum ſua membrana laceratos, & corroſos*. Ad hæc tamen luculenter reſpon-

(1) *lib. de loc. in homin. tex.* 24. (2) *de morb. acut.*
(3) *prax. med. cap.* 9. *append. ad pleur.* (4) *mechan. morb.*
(5) *lib.* 2. *prax. p.* 409, *& lib.* 3. *p.* 365. (6) *dec.* 6. *caſ.* 4. *p.* 29.
(7) *conſ.* 91. (8) *conſult. medic. con.* 26. *in appendice.*

dent, qui contrariam ſententiam ſuſtinent. Atque in primis fatentur quidem, pleuritidem, ac peripneumoniam ſæpe conjunctas eſſe affectiones, præſertim cum pleuræ ſuperior pars inflammatur, ac propterea negari non poſſe, quin pleura ſola quandoque afficiatur, preſertim ſi pars ejus inferior non adeo, nec ita frequenter cum pulmone connexa inflammatione corripiatur. Pleuram inflammationis capacem eſſe nemo inficiabitur, qui ſedulo perpenderit, nihil eamdem eſſe, quam membranam vaſis arterioſis, venoſis, lymphaticis, preditam; ideoque herere in iiſdem, ac ſubſiſtere poſſe ſanguinem, atque inflammationem excitare. Qui pleuritidis ſedem in pulmonibus ſtatuendam eſſe voluerunt ob id potiſſimum, quod in cadaveribus pleuritide demortuis obſervarunt eoſdem læſos fuiſſe, falſa opinione adducti plus obſervationi tribuerunt quam par eſt. Fieri enim potuit, ut iſtiuſmodi pleuritici pleuritide non ſolitaria, ſed mixta, & compoſita evaſerint; propterea negare ſolam quandoque Pleuram non inflammari ridiculum eſſe. Cur autem negetur, ſi multorum obſervationibus conſtet, in multis pleuriticorum cadaveribus pleuram quidem corruptam, pulmonem vero intactum repertum eſſe? Sic Bonetus (1), Veslingius (2), Bald. Bald. (3), Proſper Martianus (4), unus vero inſtar omnium Diemerbroech. (5) de thorace, qui quæſtionem fuſe pertractavit. Que quamvis verofimilitudinis ſpeciem habere quandam videantur, attamen quominus res paulo diligentius ad trutinam, ut ajunt, revocantibus probentur, accipianturque, faciunt multa, que referuntur in comment. Acad. Bononien (6) circa eam in qua verſamur controverſiam, utrum videlicet in iis, qui pleuritici dicuntur, potiſſimum pleura, an pulmones leſi ſint. Preſtantiſſimus enim Morgagnius cum in ea eſſet opinione, ut crederet, pleuritidem ad vitium potiſſimum pulmonum referendam eſſe, *de quibuſdam Profeſſoribus narravit ſibi notis, qui cum cadavera eorum inciderent, qui ex legitima pleuritide interierant, & pulmones verſus medium thoracis, uti fit ad pleuram retegendam, traherent, eos obſervarunt vel exteriore interdum parte uſque adeo depravatos, atque corruptos, ut partis hujus portio aliqua inter trahendum facillime lacerata, & divulſa, adnexæ Pleuræ adhærens relinqueretur; ſicque incautis imponere aliquando poſſet ſpecie pleuræ ſummopere, & penitus labefactatæ; quæ tamen pleura abraſis diligenter pulmonum reliquiis illæſa omnino, vel tantum nonnihil rubra apparebat. Quo minus mirandum videtur eſſe aliquos, qui aſſeverent, ſe in pleuriticorum cadaveribus incidendis potiſſimam læſionem non in pulmonibus, ſed in pleura comperiſſe; nam ſi quid errarunt, videntur habuiſſe erroris cauſam; illudque etiam explicari facile poteſt, cur dolores interdum in pleura ſentiantur, cum offenſio revera ſit in pulmonibus.*

Huc accedit, pulmones ſæpiſſime extrinſecus obduci materia quadam craſſa, albida, vel flaveſcente, quæ non raro pleuram incruſtat ad eum præſertim locum, in quo affecti pulmonis partes contingit, unde eadem depravata ſummopere, & penitus labefactata videtur, quæ tamen pleura, abraſa diligenter materia, illæſa omnino, ſana, & intacta apparet. Nempe ſerum ſanguinis e membrana extrinſeca pulmonum exſudans inflammationis calore concreſcit, & ſpecie pleuræ corruptæ incautis imponit. Quæ ſane omnia efficiunt, ut tandiu ad Hippocratis, Celii Aureliani, Baglivi, Hoffmanni, aliorumque præſtantiſſimorum virorum ſententiam accedamus, quam veriſſimam eſſe Plateri, Hoechſtædteri, Piſonis, Tulpii, Zechii, aliorumque obſervationes anatomicæ docuerunt, quandiu cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus obſervationibus comperiatur, ſolam pleuram inflammari, unde non ſolum ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer adducamur, locum in pleuritide affectum non pulmonem, ſed pleuram eſſe.

Si externæ tantummodo thoracis partes, ſeu intercoſtales muſculi, pleuritis ſpuria.) Quamquam non in omni pleuritide pulmonem inflammari cenſendum eſt. Siquidem cadaverum ſectionibus cultro anatomico inſtitutis, qui communiter, ac certe pleuritide periiſſe judicabantur, nihil in pulmonibus, vel pleura inflammati deprehenſum eſt. Orta hinc diſtinctio in pleuritidem legitimam, & notham, ſeu ſpuriam. Legitimam eam dicimus, quæ ab inflammatione extimæ pulmo-

(1) *in ſepulch.* (2) *obſ.* 36. (3) 45. 46. (4) *In Hippocrat.* 70.
(5) *lib.* 2. *cap.* 13. (6) *p.* 153.

monum membranæ pleuræ adhærentis proficiſcitur, ſpuriam vero in qua externæ tantummodo thoracis partes inflammantur, qui lateris quoque dolor ab Hippocrate fuit appellatus, (1) ut Cl. viri Duretus, & Martianus animadverterunt, qui dolor quoque eos ſolet infeſtare, qui Rheumaticis, Scorbuticis, Arthriticis affectionibus, qui celtica lue premuntur.

II. *Cauſa proxima eſt ſanguis in vaſis ſanguiferis earumdem partium vel ſegniter motus &c.*) Tres inflammationis gradus a Medicis ſtatuuntur. Cum ſanguinis motus maxime retardatur, ſeu ſegnius, quam par eſt, & naturæ ordo poſtulat per vaſa movetur, oritur inflammatio imperfecta, quæ phlogoſis dicitur; cum ſanguis in minimis vaſis plane ſubſiſtit, parteſque ejuſdem globuloſæ, aut fibroſæ a novo ſanguine continuo affluente intra lateralia lymphatica pelluntur, tumoremque, ruborem, ac dolorem excitant, vera, ac perfecta inflammatio ſubſequitur. Id quod maxime apparet in inflammatione tunicarum ſuccingentium, in primis adnatæ, quæ Ophthalmia nuncupatur. Nemo ignorat, hanc tunicam ſanguiferis vaſis conſperſam eſſe. Itaque ſi vaſa hæc pręter ſubtiliorem, & pellucidam ſanguinis partem rubram etiam, & craſſiorem admittant, quæ propterea in iiſdem moretur, & ſtagnet, diſtentio in illis, tumor, rubor, dolorque in oculis ſuccedit. Tertius inflammationis gradus eſt, cum ſanguis in lymphatica vaſa effuſus una cum lympha, ſolidiſque partibus corrumpitur, unde loci inflammati corruptio exoritur. Sed hac de re plura inferius. Pauca hæc innuiſſe ſufficiat, ut intelligerent Adoleſcentes, in quo potiſſimum ſita ſit ratio, ut ajunt formalis inflammationis, quam multi Veterum, ac Recentiorum oſtendere conati ſunt, pauci vero aſſequuti.

III. *Remotæ ſunt eorumdem vaſorum laxitas, & atonia &c.*) Cur ſanguis in vaſis pulmonum ſegniter moveatur, aut plane ſubſiſtat, & in lymphatica arterioſa propellatur, multa in cauſa eſſe poſſunt, atque ex his quidem alia in ipſis pulmonibus, alia in fluidis per eoſdem excurrentibus. Vitio pulmonum ſanguis ſtagnat, atque ſubſiſtit in minutiſſimis vaſculis, ſi laxata eorumdem nativa compage, ſanguis copioſius admittatur in arterias, quam revehatur per venas, atque ineptæ illæ ſint ad eumdem libera circulatione trajiciendum, unde facile ſubſiſtere, atque hærere cogatur. Id quod egregie adnotavit Baglivus de fibra motrice: *Si ſanguis currens per corpus cum dato motu cordis, & cum data celeritate ſua incidat in partem, cujus fibræ interna, vel externa de cauſa laxæ ſint nimis, flaccidæque, ſtatim mutari, atque turbari ſuum videbis curſum in eadem; reſtagnante ibidem ..... quo in caſu reſtagnatio fluidi fit magis culpæ ſolidi prementis laxi, flaccidique, quam fluidi circulantis.*

Laxitati contrarium vitium eſt adſtrictio vaſorum, quæ quomodo inflammationi anſam præbere poſſit, oſtendendum eſt. Cum nempe adſtrictione nimia peccent vaſa, ab influente ſanguine parum expanduntur, parum expanſa, quod elaſticis omnibus ſolemne eſt, parum contrahuntur, parum expanſa, ac contracta parum ſanguinis recipiunt, atque ipſum tarde admodum, ac ſegniter movent; hinc retardato ejuſdem motu, liberum ſibimetipſi curſum præpedire contingit, ſenſim ſenſimque hærere, ſubſiſtere, atque in lymphatica arterioſa effundi, unde inflammatio.

Plenitudo ſanguinis.) Vitia fluidorum ſunt vel in quantitate, vel in qualitate. Ad vitia in quantitate ſpectat nimia plenitudo, quæ arterias plus æquo diſtendens, ineptas ſanguini rapida circulatione trajiciendo in venas conſtituit, qui propterea ſubſiſtere, atque hęrere cogitur, unde inflammatio. *Subſiſtere*, inquam, *atque hærere*. Cum enim hęrere, ac ſubſiſtere ſanguis nequeat, quin ſolidarum partium motus crebriores, vehementioreſque excitentur, ab auctо vero ſolidarum partium motu ſanguis fundatur, ejuſque moles augeatur, ac maxima vaſorum diſtentio exoriatur, ut propterea eadem ſanguini vehendo imparia omnino reddantur, fit, ut plenitudo inflammationi tribuat, orgaſmus vero, ac raritas eamdem perficiat, ut prę cęteris adnotavit Cl. Pitcarnius de circulatione ſanguinis, & alibi a nobis demonſtratum eſt.

Craſſities, viſciditas, & lentor, ejuſdem acredo nimia. Ad vitia in qualitate pertinet craſſities, viſciditas, & lentor, quę adeo frequens inflammationis cauſa eſt, ut nullam pręter eamdem plerique agnoſcant. Cum enim ſanguis craſſitie, viſciditate, ac len-

(1) *Coac.* 39. & 73.

lentore peccat, minima celeritate fertur per arterias, ac propterea capillarium vaſorum extremitates anguſtans facile ſibimetipſi curſum impedit, unde ſtagnatio, atque hinc ſubſequens inflammatio pręſto eſt.

Craſſitiei, viſciditati, ac lentori vitium contrarium eſt acredo nimia, quę haud infrequens inflammationis cauſa eſt, quatenus ſcilicet aeres, & erodentes particulę in tenuiſſima vaſcula ſeſe inſinuantes, craſſioribus etiam viam, atque aditum parant, unde in iiſdem facile morantur, ac ſubſiſtunt. Erodendo etiam minimorum, atque exiliſſimorum vaſorum tunicas effuſionem progignunt, aut fibrillas nerveas ſtimulando liberum ſanguinis per venulas ingreſſum prohibent, hinc inflammatio. Ex quibus liquet, in quanta obſcuritate verſentur illi, qui inflammationes ex ſanguinis diſſolutione, atque acredine dari negant. Qua in ſententia fuit Helmontius (1), quem refert Cl. Etmullerus (2), Baglivus (3), aliique a quibus tam diſſentimus, quam illi diſſentiunt a veritate.

IV. *Cauſæ procatharticæ ſunt exercitationes corporis violentæ in aere frigido &c.*) Inter innumeras fere procatharticas cauſas, quę inflammationibus pulmonum occaſionem prębent, eminent exercitationes corporis violentę. Cum enim ſanguis celeri motu per vaſa totius corporis feratur, maxima celeritate, vi, atque impetu in pulmones propellitur, qui propterea plus ęquo diſtenti impares evadunt ſanguini trajiciendo, unde inflammatio. Quid ſi pulmonum vaſa aere frigido inſpirato criſpentur, convellanturque? Liberum nimium ſanguinis motum non ſolum prępediri contingit, ſed ipſum ſanguinem cogi, ac condenſari, unde major eidem ad ſtagnationes via prębetur.

Venti auſtrales, boreales.) Cum de dolore capitis ageremus, oſtendimus, a ventis auſtralibus aerem rariorem, & leviorem fieri, ſanguinem pręterea eadem de cauſa rareſcere. Quę ſi vera ſunt, liquet cur flantibus ventis auſtralibus inflammationes contingant. Sanguinem nempe plus juſto rareſcentem ſibimetipſi per vaſa pulmonum curſum prępedire contingit, atque inflammationem progignere. Venti boreales prętерquamquod poros cutis obſtruunt, unde in ſanguine recrementa quamplurima congeruntur, quę eumdem cogunt, atque ad fluendum imparem efficiunt; particulis prętерea, quibus fœti ſunt, nitroſis ore inſpirati, nerveas pulmonum fibrillas vellicant, pungunt, atque adſtringunt, unde liber ſanguinis excurſus per extremitates vaſorum prohibetur, hinc inflammatio.

Aer pravis qualitatibus infectus.) Aer pravis qualitatibus infectus, acidis ſcilicet, acribus, vel ſimilibus, ſeu ſanguinem cogendo, figendoque, ſeu teneras pulmonum fibrillas vellicando, pungendo, ſeu eorumdem tonum labefactandoſępe, ac ſæpius pleuritidis, ac peripneumonię pernicioſæ, quæque epidemice graſſatur, haud infrequens cauſa eſt. Qua de re plerique accuratiores practici, prę cęteris vero Sydenhamus conſulendus (4).

V. *Signa Peripneumoniæ ſunt febris continua, acuta, quæ ut plurimum cum rigore incipit &c.*) Plerique Veterum, ac Recentiorum ſigna, quę peripneumonię propria ſunt, pleuritidi quoque aſſignarunt. Quę res multis minus probatur. Non defuere autem qui in hoc opere nervos induſtrię omnes intenderunt. Inter hos eminent Cęlius Aurelianus, Fernelius, Riverius, quos accuratiores practici fere omnes ſequuti ſunt. Signa autem alia utrique affectioni communia ſunt, alia tantum peripneumonię, vel pleuritidi conveniunt. Inter ſigna communia utrique principem obtinet locum febris acuta, continua, quę febris continua effectus eſt ipſius inflammationis, ſeu inflammationem conſequitur. Neque enim ſanguis vel in extima pulmonum membrana, vel in interna eorumdem ſubſtantia hęrere poteſt, quin nerveę fibrillę eoſdem conſtituentes in crebriores, vehementioreſque contractiones cogantur, quę ſpirituum motum perturbando, cor, & arterias in ſimiles contractiones excitent, unde febris. Pro varia autem inflammationis ſede diverſa febris exoritur. Nam ſi internam pulmonum ſubſtantiam occupet, ut in peripneumonia contingit, ac propterea majorum canalium ſectiones obſtruat, fit ut ſanguis a dextro Cordis ventriculo in ſiniſtrum pleno gurgite transferri non poſſit, ex ſiniſtro Cordis ventriculo in arteriam Aortam, ex Aorta in univerſum corpus, hinc febris cum pulſu quidem celeri, ac frequenti, ſed parvo,

(1) *tract. Pleura furens.* (2) *Cap. de Peripneumon.*
(3) *prax. medic. cap. de Pleurit.* (4) *in opuſc.*

vo, atque humili, latente, ac formicabili dicto a Cęlio Aureliano excitetur.

Maxima ſpiritus difficultas.) Inflammatione internam pulmonum ſubſtantiam occupante, tracheales ductus, ac veſiculas pulmonales obſtrui, comprimi, aut ea ratione affici perſpicuum eſt, qua liber aeris ingreſſus, egreſſuſque impediatur, hinc maxima ſpiritus difficultas; quod adnotavit jam Hippocrates, qui peripneumoniæ ſigna tradens ſublimem reſpirationem adeſſe affirmavit, ut æger *cum erecta cervice* jacere cogatur.

Dolor pectoris gravativus, profundus, qui &c.) Pulmo obtuſiſſimo ſenſu præditus eſt: ſpongioſa enim ejuſdem ſubſtantia eſt, & ex meris veſiculis minimis quaſi carneis, omnique fere ſenſu deſtitutis conflata: hinc eſt, peripneumonia laborantes dolorem gravativum perſentire. Connexio præterea pulmonis cum ſterno, & vertebris efficit, ut profundus, quique ſternum verſus ſpinam premere videtur, percipiatur, aut ſi forte obſtructio minima ſit, aut eamdem craſſa, viſcida, ac difficilis materia efficiat, nullus percipiatur, niſi in violenta inſpiratione, & totius corporis concuſſione, quæ in tuſſi contingit, unde plus æquo conſtrictis veſiculis pulmonalibus, earumdem filamenta varie, inordinateque concuſſa moleſta ſenſatione afficiantur. Tuſſis porro ob id potiſſimum contingit, quod filamenta nervea membranas bronchiorum conſtituentia in ſpaſmos aguntur, convelluntur que a materia obſtruente, unde inordinatus, perturbatus motus muſculorum reſpirationi inſervientium, convulſio, vehemens concuſſio totius pectoris, tuſſis.

Quam ſequitur ſputum ex imo pectoris ſæpe ſanguineum, &c.) Qui peripneumoniæ, ac pleuritidis ſedem in pulmonibus ſtatuendam eſſe exiſtimant, iis quidem nihil officit obſervatio ſputi ſanguinei, quod in peripneumonia, aut pleuritide laborantibus fere ſemper obſervatur. Arduum potius, atque inſolens explicatu phænomenon illis videtur, qui veræ pleuritidis ſedem non in pulmonibus, ſed in pleura membrana coſtas ſuccingente prætendunt. Non deſunt tamen, qui hanc ſententiam pugnaciſſime ſuſtinent, qui nihil fere negotii faceſſere ſibi illud aſſeverent, ac propterea non ob id potiſſimum, quod in omni fere pectoris inflammatione ſputum ſanguineum apparet, ſtatui poſſe, peripneumoniæ, ac pleuritidis ſedem collocandam eſſe in pulmonibus. Primum enim ſputum ſanguineum in omni fere pleuritide apparere exiſtimant, quod plerunque pleuritis cum peripneumonia conjungitur, deinde compendiarias eſſe vias arbitrantur, quæ ſanguinem in ſimplici pleuritide affectis per azygam ab intercoſtalibus ſpatiis ducant in aſperam arteriam. Hæc fere ſententia eſt doctiſſimi Jo. Mariæ Lanciſii (1), quihiare oſcula in tracheam ſe pluribus iteratis experimentis haud injucundo ſpectaculo deprehendiſſe teſtatus eſt. Expreſſionem autem ſputi a loco inoſculationis azygæ ex hoc potiſſimum repetit, quod major venter muſculi triangularis ſub ſterno locetur; quare cum tenditur, thymum, ſubjectamque venam cavam, atque adeo inoſculationem ejus cum azyga, ipſamque tracheam neceſſario premere debet, introque ita adigere, ut per hujuſce muſculi adauctam cum volumus vigorationem, ipſa quoque anacatharſis plurimum promoveatur: Proxime autem quoties ſanguis acer, ac morboſus in tubulis, atque interſtitiis fibrarum muſcularium ſtagnans extruditur, ac per azygæ ramos citius, ac uberius refluit, qui mox ad inoſculationis locum perveniens hemiſphincterem irritando, ac ſubjectos tubulos fodicando tuſſim excitat, ſibique meatus in tracheam aperit. Huic opinioni favere plurimum videtur altera obſervatio, nempe in contuſione pectoris ſputum ſanguineum excerni. Quæ enim intercoſtalium, & pectoralium muſculorum cum pulmonibus communicatio? Nempe in contuſione arterias intercoſtales obſtrui contingit, ſanguinis curſum per eaſdem impediri, atque propterea eo prorſus modo, quo in ſimplici pleuritide affectis per azygam ab intercoſtalibus ſpatiis duci in aſperam arteriam, unde ſputum cruentum. Ut ut autem res ſit, illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, ſputum cruentum in peripneumonia educi non poſſe, niſi per vim, & ex imo pectoris; ita ut ſputum pleuriticum, quodque juxta allatam ſententiam ex pleuræ, aut intercoſtalium muſculorum inflammatione exoritur, a ſputo peripneumonico in hoc differat, quo illud ex aſpera arteria, hoc ex profundo pectoris hauriatur, & traducatur.

Ge-

(1) *Epiſtol. ad Morgagnium de vena ſine pari.*

Genarum rubor.) Genarum rubor ſingulis fere affectionibus pulmonum hæmoptyſi, phthiſi, & ſimilibus communis eſt. In his enim affectionibus impedito per pulmones libero ſanguinis excurſu fit, ut ad ſuperiores partes ſubſiſtat, hinc genarum rubor.

VI. *Signa pleuritidis veræ ſunt febris continua acuta &c. cum pulſu duro.*) Quotieſcumque extima pulmonum membrana inflammatur, quoniam pleuræ membranæ coſtas ſuccingentis ſoboles eſt, & in pleriſque pulmones in alterutro minimum latere dictæ pleuræ annati, atque concreti ſunt, fit ut diſtentionem ejuſdem efficiat præternaturalem, ac propterea, ut cęteris membranis vi elaſtica præditis commune eſt, pulſus duritiem excitet. Diſtentę enim, ac contractę cum ſint, talem diſtentionem, contractionemque arteriarum tunicis communicant, quę cum dilatari nequeant, neceſſe eſt, ut pulſus durities ſubſequatur. Idque facile accuratiores practici omnis ęvi conceſſere. Fernelius (1) pulſum in pleuritide non ſolum durum, ſed ſerratilem prętendit. Pulſus ſerratilis conditiones deſcribit Galenus (2). Verum hanc differentiam pulſus egregie prę cęteris damnavit Cl. Saxonias, quem ſequutus eſt Cl. Cheſneau, ingenue aſſeverans, ſe nunquam eamdem deprehendere potuiſſe, ideoque parvi pendendam, tamquam rem fictitiam, & imaginariam, contentus duritie pulſus, quę ſufficit ad pleuritidem dignoſcendam.

Reſpiratione minus difficili, ac crebra, dolore punctorio pectus, latera &c.) Quoniam in pleuritide vera extime tantummodo pulmonum membrana inflammatur, atque liberior aeri ingreſſus in veſiculas pulmonales, egreſſuſque conceditur, minus difficilis, ac crebra reſpiratio, quam in peripneumonia ſupervenit. Cum vero eadem pleurę ſępiſſime adhæreat, perſpicuum eſt, non ſolum nervea filamenta, quibus contexta eſt, præter modum diſtendi, vellicari, varie, atque inordinate concuti, ſed in conſenſum quoque trahere membranam coſtas ſuccingentem; Cum ea ſenſu exquiſitiſſimo ſit prædita, dolorem pungitivum ſupervenire neceſſe eſt. Pro vario autem ſitu, quem occupat extimæ pulmonum membranæ inflammatio, dolor emergit, qui modo latera, modo anteriorem pectoris partem, modo poſteriorem extorquet.

Tuſſi inter initia ut plurimum ſicca, quæ tamen humida fit &c.) Cum inflammatio extimam pulmonum membranam occupet, manifeſtum eſt, nervea ejuſdem filamenta varie, inordinateque concuti, ſpirituum animalium motum præ ſtimulo perturbari, ac muſculos reſpirationi inſervientes in varias, atque inordinatas contractiones agi, unde tuſſis. Quoniam vero materia irritans non hæret in bronchiis, tuſſis inter initia plerunque ſicca emergit: repetita autem bronchiorum concuſſione, vel humor, qui parce a glandulis extillare ſolet, copioſius projicitur, vel materia extimam pulmonum membranam obſtruens, atque inflammans ad bronchia delata eadem obſtruit, unde tuſſis cum ſputo materiæ lymphaticæ, interdum ſanguinis comitatur.

VII. *Signa pleuritidis ſpuriæ ſunt tumor externas partes occupans, dolor qui &c.*) Signa hujuſce pleuritidis ſpuriæ adeo manifeſta ſunt, ut nulla magis. Ecquis enim eſt, qui non videat, inflammatione externas thoracis partes occupante, tumorem extrinſecus apparere debere, doloremque tactu exacerbari? Tuſſim a vera pleuritide ſeparari nullo modo poſſe ſupra oſtendimus. Cum igitur dolor adſit thoracis, nulla autem tuſſis appareat, unuſquiſque facile intelligit, eas partes offenſas eſſe, & inflammatas, quæ nullam fere, aut inſenſibilem connexionem habent cum pulmonibus. Quęnam autem ejuſcemodi, niſi externæ? Difficilis decubitus in latere affecto eadem ratione ferri ab ægrotantibus nequit, qua tactus. Decumbente enim ægro in affecto latere preſſio tumoris contingit, ac propterea dolor intenditur. An febris a pleuritide vera ſejungi poteſt? Nulla igitur febre exiſtente, vel exigua tantum, dolorem lateris externum eſſe manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

VIII. *Quicumque febre acuta detinentur, ac difficili reſpiratione nullo manifeſto pectoris dolore, niſi &c.*) Dantur ſępe pleuritides occultæ, quæ ſine manifeſto pectoris dolore ægros exercent, unde incautis plerunque alterius morbi ſpecie imponunt. Accuratiorum itaque practicorum, ac præ cæteris Baglivi monitum eſt, quotieſcumque æger febre acuta detineatur, ac difficultate reſpirationis, imperandum eſſe eidem, ut in dex-

(1) *de pulſ. cap. 6.* (2) *lib. de præſag. ex pulſib.*

dextero, vel ſiniſtro latere decumbat, decumbens vero fortiter reſpiret, ac tuſſiat; tum vero ab illo petendum eſſe, an dolorem, aut gravedinem perſentiat. Id ubi utique affirmaverit, eum pleuritide laborare pronuntiandum eſſe. Hoc callido artificio ſe plures pleuritides detexiſſe magno ægrotantium commodo teſtatus eſt Baglivus, quem accuratiores practici in hac parte ſequuti ſunt.

IX. *Si pulſus, qui antea durus, mollis fiat, ac parvus, dolor qui acutus &c.*) Haud raro pleuritis in peripneumoniam tranſit: huncque tranſitum Pleuropneumoniam Riolanus, aliique appellarunt, morbum ſcilicet mixtum, & compoſitum ex pleuritide, & peripneumonia. Fieri autem docent pulſus, qui cum antea durus eſſet, mollis ac parvus evadit, dolor pungitivus in obtuſum, & gravativum mutatus, remanentibus tamen reliquis ſymptomatibus, interdum auctis, quæ ab inflammatione nunquam ſejuncta deprehenduntur, febre ſcilicet, difficultate reſpirationis, & ſimilibus. Quam facile plerique incauti in fraudem inducuntur, ſolutum iri morbum aſſeverantes, cum inter loquendum, ac fabulandum ſuffocentur ægri! Profecto omnis prognoſis a bona, vel mala reſpiratione maxime petenda. Si pulſus mollis fiat, dolor miteſcat, reſpirationis tamen difficultas augeatur, ſtatim ſuſpicandum eſt, tranſitum fieri ab inflammatione extimæ pulmonum membranæ in inflammationem ipſiuſmet ipſorum pulmonum ſubſtantiæ, ſeu a parte minus nobili in nobiliorem, quem tranſitum malum, ac periculi plenum eſſe Hippocrates præ cæteris adnotavit.

X. *Niſi in quatuordecim diebus, aut intra vigeſimum ſecundum diem &c.*) Exitus pleuritidis, ac peripneumoniæ vel reſolutio eſt, vel ſuppuratio, vel mors. Simplex reſolutio decimum quartum diem, vigeſimum ſecundum raro attingit. Ubi igitur reſolutio minime contingat, quam fieri docet omnium ſymptomatum ex æquo remiſſio, ſtatim ſuſpicandum eſt de exitu morbi in ſuppurationem. Suppuratio fit, cum ſanguis e vaſis ſanguiferis in lymphatica arterioſa effuſus, ac fermentans eam acrimoniam nanciſcitur, qua fibræ, ac tunicæ vaſorum exeduntur, ac corrumpuntur, unde pus. Quæ dum fiunt, acres, volatiles, ac ſulphureæ ſanguinis particulæ libertatem nactæ, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ agitationem, ejuſque furorem augent, unde omnium ſymptomatum exacerbatio. Ad febrem præ cæteris attendendum eſt, quam Galenus (1) ad ſuppurationem tendente pleuritide cum rigore, & horripilatione ægrum invadere febri tertianæ æmulam teſtatus eſt: unde incauti facile decipiuntur exiſtimantes, morbum in febrem periodicam, intermittentem degeneraſſe, ejuſque curationem uſu chinæchin. feliciſſimam pollicentes.

XI. *Si reſpiratio difficilis, ponderis, fluctuationis, & moleſtiæ ſenſus &c.*) Quamvis empyema, ut alibi a nobis demonſtratum eſt (2), ſuppurationem ſignificet quacumque in parte contingit, uſus tamen obtinuit, ut ſola puris intra pectoris cavum collectio Empyema nuncupetur. Pus autem in cavitate colligitur, vel quod humor in cavitatem effuſus ibidem putreſcat (id quod in vulneribus penetrantibus contingit) vel quod ex parte aliqua inflammata, & ſuppurata diſrupto abſceſſu pus in cavitatem effunditur, id quod poſt male judicatam, & ſuppuratam pleuritidem ſæpiſſime accidiſſe novimus. Cum igitur pus in cavitate collectum ſit, nemo eſt, qui non videat impediri, ne pulmo dilatetur, & ne pectus conſtringatur ea ratione, qua opus eſt, ut aer libere in veſiculas pulmonales ingredi, & ex his egredi poſſit, hinc reſpiratio difficilis. Præterea pus intra cavitatem effuſum, dum corporis ſitus mutatur, dimovetur, & ex una in aliam partem traducitur, eamque premit, diſtendit, vellicat, unde ponderis, & fluctuationis, ac moleſtiæ ſenſus, & tumor ſuperveniunt.

XII. *Si dolor citra cauſam improviſo remittat, reſpiratione interim faciliori &c.*) Quandoque loco ſuppurationis gangræna, ac ſphacelus ſuccedit, tertius modus, quo exit inflammatio. Quod non aliunde repetendum eſt, quam ex eo quod denegatur in inflammatam partem influxus liquidi arterioſi, & liquidi nervoſi, quæ cum ſint duo principia, quibus conſervatur calor, ut ajunt, nativus, ac humidum radicale, inflammatæ partes corrumpuntur, atque ea ratione afficiuntur, qua opus eſt ad mortem. Quam facile incauti in fraudem inducuntur judicantes, morbum in ſalutem termi-

(1) *in com. aph. Hippocr.* (2) *Vid. cap. 3. lib. 1. com. in aphor. 22.*

minari, cum in ſphacelum, ac mortem deſinat! Dum enim inflammata pars ſphacelo corripitur, ſenſu omni, motuque privatur, ac perit, hinc dolor ceſſat, at ſine manifeſta cauſa; reſpiratio a ſpaſmodica conſtrictione organorum reſpirationi inſervientium magis, quam ab obſtructione bronchiorum, ac veſicularum pulmonalium ortum traducens facilior fit; at debilis, & parva; pulſus, qui durus, præſertim ſi in extima pulmonum membrana inflammatio ſit conſtituta, mollis ſit, at parvus, humilis, valde celer, ac formicans, & quod magis eſt, ſputum lividum, viride, nigrum apparet, quæ cum ſphacelum fieri doceant, brevi quoque hominem periturum portendunt.

XIII. *Pleuritide, aut Peripneumonia laboranti alvi fluxus ſuperveniens cum levamine, nec &c.*) Illud Hippocratis: *Pleuritidi, aut Peripneumoniæ alicui fluxum ſupervenire malum*, falſum interdum eſſe viſum eſt pleriſque, ac pręſertim Zacuto Luſitano affirmanti decubitum fieri ad alvum materiæ ſtagnantis, minus impedimenti relinqui ad liberum ſanguinis excurſum, unde bonum. Recte ille quidem, niſi effectus, ad quos maxime attendendum eſt, aliter ſuadeant. Si dolor, febris, ac cætera ſymptomata miteſcant, cur malum pronuntiemus? Non paucos novi, qui benigno alvi fluxu ſponte ſuperveniente a morbo feliciſſime ſunt liberati. Quid tamen quod alvo fluente ſolet interdum ſputum ſupprimi, atque eductis tenuioribus, ſeroſiſque ſanguinis partibus obſtructio, atque inflammatio ſic intendi, ut ægri in mortis diſcrimine prope certiſſimo verſentur, quemadmodum plus centies in Xenodochiis, & in mea praxi obſervavi? Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non valere Baglivi conſilium, alvi fluxum nec purgantibus medicamentis, nec continuo Clyſterum uſu eſſe promovendum: *nam exacerbato*, inquit, *morbo ſputum ſupprimetur, & ſymptomata ingraveſcent cum pernicie ægrotantis.*

XIV. *Simul ac Pleuritidis, aut Peripneumoniæ indicia appareant, venæ ſectio &c.*) Modum omnium tutiſſimum, quo exit inflammatio, eſſe reſolutionem materiæ, quæ in pulmonibus hęret, ex ſuperius allatis perſpicuum eſt. Eo igitur nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut hærens, atque impacta iiſdem materies dimoveatur, & circulo reſtituatur, luce clarius apparet. Venę ſectionem inter præcipua remedia, quæ a Medicis ſolent adhiberi, principem obtinere locum plerique Veterum, ac Recentiorum Medicorum duce Hippocrate, & Galeno uno ore affirmarunt. *Plerique* inquam: Neque enim defuerunt, qui eamdem altiori voce damnarunt, & e medio quantum illis fas fuit tollere conati ſunt. Quo in opere Aſclepiadis, Eraſiſtrati, aliorumque Veterum, noviſſime vero Helmontii ſolertia enituit. Rationum momenta, quibus Helmontius præ cæteris detrahendi ſanguinis morem in inflammationibus viſcerum damnare nititur, hæc fere ſunt. Sicut apoſtema natum ab infixa digito ſpina procul dubio temere curatur per venæ ſectionis, niſi ſpina ipſa evellatur; pari ratione pleuritis per eam ſanari nequit. Quamobrem ſubdit: quod facti apoſtematis cruor non poteſt per venam ſectam evacuari, utcumque nomen revulſionis, aut derivationis in ægrorum deluſionem jactetur. Præterea cum eo adductus ſit ut credat, inflammationis cauſam eſſe acidum coagulans, etiam ob id potiſſimum venæ ſectionem damnat, quod prohibere minime potens ſit, quominus ſanguis, qui intus aciditatem contraxit, eadem ſpolietur, & ad fluendum aptus, atque idoneus evadat. Potiora, atque tutiora putat dari remedia, quæ ſanguinem attenuare valent, diſſolvere, acorem tollere, noxioſque humores] per inſignes excretionum vias extra corporis confinia educere. A quo tamen rem ſedulo pro ingenii modulo revocantes tam diſſentimus, quam ille diſſentit a veritate. Affirmare tumorem per venæ ſectionem tolli non poſſe, garrire eſt, ac ſomnia narrare. Cum enim venæ ſectione plenitudo ſanguinis tollatur, ac vaſorum diſtentio, qua eorumdem fibræ majorem in modum infirmabantur, ut in corporibus elaſticis contingit, quæ nimium diſtracta ad ſeſe reſtituendum inepta fiunt, crebrius ac validius eadem contrahi contingit, ac ſanguinem majore vi, ac celeritate propellere, hinc atteri, fundi, ſubtiliorem reddi, & ſi alicubi ſubſiſtit, dimoveri, circuloque reſtitui. Ecquis porro eſt, qui non videat, venę ſectionem derivandi, aut revellendi gratia inſtitui ſine magno labore poſſe? Nemo ſane qui accurata de vaſorum ſtructura, motuque ſanguinis cognitione inſtructus ſit, multo minus qui adierit Cl. Renatum in egregio tractatu

de

de vena ſecanda in pleuritide, qui omnes omnium Auctorum ſententias de hac derivandi, revellendique doctrina congeſſit, nuperrime vero Cel. Jacobum Placentinum in nobili Diſſertatione de vena, quæ in morbis particularium partium ſit ſalutarius incidenda (1).

In brachio lateris oppoſiti lateri affecto.) Dum nempe venæ ſectio in latere oppoſito lateri affecto inſtituitur, revulſionis gratia inſtitui cenſendum eſt. Cujuſce rei rationem paucis habeto. Secta vena, quæ ſanguinem haurit ab arteria partis ſanæ, efficit, ut multum ſanguinis effluat ex arteria partis ejuſdem ſanę, præterea ut ſanguis ex eodem ramo arteriæ partis ſanæ effluat magna velocitate; ſed cum ſanguis velocitate, & copia magna effluit ex arteria partis ſanę, efficit, ut tarde, & minore copia influat in arteriam, quæ ſanguinem mittit in affectam partem, & ſanguis ab eadem revellatur; ergo ſecta vena, quæ ſanguinem haurit ex arteria partis ſanæ, revulſionem fieri a parte affecta perſpicuum eſt. Rem contrahamus. Puta e. g. hærere ſanguinem in ſiniſtra thoracis parte, atque inflammationem progignere; ſi ex dextero brachio ſanguis mittatur, minor opponitur influxuro ſanguini reſiſtentia in arteria ſubclavia dextera, quam in ſiniſtra: majori igitur copia, & velocitate ad illam fluet ſanguis, quam ad iſtam; ac propterea ſiniſtri lateris arteriæ minus ſanguinis recipient, minuſque diſtendentur; minus autem diſtentæ validius, & promptius ſeſe contrahent; hinc hærentes humores facilius dimoveri contingit, ac circulo reſtitui, ſi venæ ſectio derivationis gratia poſtea inſtituatur. Incipiendum eſſe a venæ ſectione revulſionis gratia inſtituta in inflammationibus facit potiſſimum ea ratio, quod verendum eſt, ne ſi in parte affecta inſtituatur, majore copia, & velocitate ad illam affluente ſanguine, præ vaſorum diſtenſione nimia, humorumque turgentia inflammatio augeatur, aut confirmetur. Id quod præſtari in peripneumonia, aut pleuritide, ſi baſilica lateris affecti ſecetur potius, quam ſani, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Venæ ſectione in affecto latere inſtituta, nonniſi inſtituta in oppoſito morbum auferri potuiſſe non ſemel obſervavi. Cum dicit Helmontius tutiora, atque potiora dari medicamenta venæ ſectione, dici vix poteſt in quanta obſcuritate verſetur. Quænam enim ejuſcemodi? diaphoretica nimirum, & diuretica. Verum ita me Deus amet, vix ac ne vix quidem iſtiuſmodi medicamentis corpora eorum, qui inflammationibus detinentur, pręſertim plethorica, & viribus conſtantia pertractanda traderem, niſi prius venæ ſectio inſtituta fuerit. Cum enim pleraque eorum ſolidas partes extimulare habeant, ac particularum tenujorum, ac volatiliorum, quibus fęta ſunt copia ſanguinem exagitare, ac commovere, juſtus ſubrepit timor, ne tumor atque inflammatio augeatur, aut confirmetur, ut præ cæteris a Cl. Pitcarnio animadverſum eſt.

Bis terque ſi febris &c. vireſque conſtent, primis diebus iteranda.) Quamquam in venæ ſectione adminiſtranda ad vires maxime attendendum eſt. Secus enim dici vix poteſt, quam peſſime ęgrorum incolumitati conſulatur. Cum enim vires in morbi progreſſu ad materiæ hærentis reſolutionem, vel ad expurgationem per ſputum apprime ſint neceſſariæ, nemo eſt, qui non videat, ad has maxime habendam eſſe rationem. Quod diligenter tenentes accuratiores practici ſanguinem initio morbi copioſe detrahi curant (ut non deſint, qui cum Sydenhamo ad quadraginta uncias intra quatuor dies detrahant) progreſſu morbi, in quo vires plerumque infirmæ, ac debiles ſunt, cavent diligentiſſime, ne cum ægrorum damno nimis ſint libe rales.

XV. *Cave ne virium debilitas ex ſuffocatione, debilitatis ex reſolutione ſpecie &c.*) Duplicem faciunt Medici virium debilitatem, alteram quidem, ut ajunt, ex reſolutione, alteram vero per ſuffocationem. Medicorum autem officium eſt utramque dignoſcere, ne in curatione morborum decipiantur. Debilitas enim per ſuffocationem a nimia humorum copia motrices fibras plus æquo diſtendente, atque ineptas muneri ſuo conſtituente exoritur; atque hæc quidem debilitas venæ ſectionem non ſolum non prohibet, ſed eamdem poſtulat. Etenim depletis vaſis, atque reſiſtentia imminuta, motrices fibras in priſtinum ſui elaterii exercitium reſtitui contingit, ac fluidis regendis, & debita velocitate pellendis pares fieri. Debilitas e contra ex reſolutione ſpirituum animalium, ac materiæ eorumdem pro-

(1) *Patavii* 1756.

proximæ, nempe ſanguinis defectum pro cauſa agnoſcit, quo fit ut ſolidæ partes, ac fibræ motrices vere langueſcant : quo caſu ſi venæ ſectio inſtituatur, cum inſignis fiat ſpirituum jactura, debilitatem eamdem augeri adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Quare ne in fraudem inducamur, ad pulſum potiſſimum reſpiciendum eſt. Nulla enim re melius virium debilitas vel ex reſolutione, vel per ſuffocationem dignoſcitur, quam ex pulſu. Si enim varius, confuſus, atque inæqualis ſit, modo ſcilicet parvus, modo magnus, modo vehemens, modo debilis &c. indicio nobis erit, non adeſſe ſpirituum inopiam, ſed præ vaſorum turgentia impediri liberam, & æquabilem eorumdem ſecretionem, atque derivationem in cor, ideoque ſanguinem modo pleniori flumine, modo fere guttatim, modo valido impetu, modo languide ab eodem in univerſum corpus propelli, unde confuſus, varius, inęqualis pulſus. Si vero parvus, debilis fuerit, ecquis non videat vires non ſuffocatas, ſed ob inopiam ſpirituum, ac ſanguinis reſolutas ?

XVI. *Sputo ſanguineo, vel lymphatico apparente cum levamine ſymptomatum &c.*) Etiamſi ſputum quaſcumque conditiones habuerit, venę ſectionem prohibere communiter reputetur, nihilominus tamen tunc ſolum prohibere jure cenſendum, cum febris, ac dolor miteſcat, reſpirationis difficultas imminuatur, ac cętera ſymptomata ex æquo remittant, quæ omnia protenſo quaſi digito, commonſtrant, critici remedii rationem habere, eodemque morbum tuto, feliciterque debellatum iri. Dici autem vix poteſt, quam periculoſum ſit tale ſputum venę ſectione ſupprimere. Hinc etiam eſt, accuratiores practicos initio morbi venę ſectionem inſtituere. Sputum enim ante tertium diem, aut quartum raro apparet, ideoque minus verentur, ne ipſum, ſi forte critici rationem habeat, quod ſępe accidit, magno ęgrotantium damno ſupprimatur.

XVII. *Multo minus tutum eſt, venæ ſectionem uſque ad coloris mutationem &c.*) Hippocratis monitum eſt, in pleuritide, aut peripneumonia, aliiſque ſimilibus affectionibus non ſolum celebrandam eſſe venę ſectionem, ſed repetendam uſque ad coloris mutationem. Quem plerique Recentiorum ſequuti ſunt ; prę cęteris Villiſius aſſeverans, non una tantum, ſed repetitis vicibus detrahendum eſſe ſanguinem, donec mutatio coloris contingat, ut ſi prima vice niger appareat, repetenda ſit venæ ſectio, donec rubri fiat coloris. Nunnulli ſanguinem e vena affluentem mundis, terſiſque cyathis vitreis excipi curant. Craſſus, & denſus cum ſit, citiſſime concreſcit. Ubi in ſuperficie ejuſdem alba quędam materia, quę interdum acutiſſimi cultri aciem fugit, quam cruſtam inflammatoriam appellant, non appareat (plerunque autem in prima venę ſectione apparet) ſanguinem detrahendum eſſe exiſtimant uſque dum appareat : quod diſcriminis plenum eſt. Prętereaquam enim quod ad vires, & ſputum maxime reſpiciendum eſt, cavendumque, ne venę ſectione vires infirmentur, ſputum vero ſupprimatur ; accedit prętera, non quamcumque coloris mutationem, intelligendam eſſe, & quocumque tempore ſupervenientem, ſed quę ſecunda, aut tertia, ut ſummum vero quarta venę ſectione contingit, ut prę cęteris egregie animadvertit Baglivus. Quotieſcumque enim in ſanguine ex vena prima vice extracto minime appareat cruſta illa tenax, & inſtar gelatinę concreta, in ſecunda autem appareat, ſi opus ſit, etiam tertia vice celebrari quidem poſſe venę ſectionem, eadem vero cruſta minime apparente non ſolum non repetendam eſſe venę ſectionem uſque dum denuo appareat, ſed ſtatim abſtinendum eſſe, quia *per repetitam tunc ſanguinis miſſionem ſanguis ſpoliatur parte volatiliori, unde major eidem ad coagulationes via præbetur* (1).

Quid ſit, cur in extracto ſanguine illorum, qui pleuritide, aut peripneumonia premuntur, modo appareat cruſta illa, modo non appareat, difficillimum eſt ſtatuere. Multi quidem cum Baglivo ex eo potiſſimum repetunt, quod materies cruſtam efficiens in pulmone remanet, eumque infarcit. Verum quid quod ex accidenti quodam oriri poſſit, quatenus ſcilicet vel orificium anguſtius, vel quid aliud obſiſtat, quominus ſanguis pleniore exeat gurgite, hinc fieri nequeat prępcipitatio, ut ajunt, partium globuloſarum a parte reticulata, ac fibroſa ſanguinis, unde fibrę denudatæ globulis albeſcant, & in cruſtam illam albam convertantur ? Ita Cl. Sydenhami obſervatione com-

(1) *Prax. med. cap. de pleuritide.*

compertum eſt, ſi ſanguis e ſecta vena non recto flumine verſus horizontem profiliat, per cutim repens perpendiculariter dimanet, ut ut celeri ſe proripiat gradu, ſæpe tamen cruſtam illam in ſuperficie non habere. Quo apparet, nullum generale præceptum ſtatui poſſe, quo ex emiſſi cruoris obſervatione certa ſanguinis mittendi menſura definiatur. Illud autem diligenter tenendum eſt, in detrahendo ſanguine in Pleuritide, aliiſque iſtiuſmodi affectionibus, neque nimis parcos eſſe oportere Medicos, neque nimis liberales. Neglecta enim venę ſectione Empyema facile ſubſequi (niſi in mortem cito terminetur morbus) præſertim in ſpongioſi habitus corporibus docuit Verzaſcha (1), idque exemplo confirmavit Heurnius (2). Si nimis liberaliter detrahatur ſanguis, eadem mala, ne multo majora dicam, ſubſequuntur (3). Hinc perite Ballonius (4), *revera*, inquit, *graviter ab iis peccatur, qui in Pleuritide naturam multo detracto ſanguine exinaniunt*.

XVIII. *Quæ dum fiunt fomenta ex flor. malvar. &c.*) Innumera fere ſunt, quæ ab Auctoribus paſſim commendantur dolenti parti applicanda. Verum, ita me Deus amet, vix ullis utendum traderem, ſi fomenta excipias ex emollientibus parata calida admovenda, quorum ope dici vix poteſt, quam apte dolor ęgrum dire exercens mitigetur, fibris plus ęquo conſtrictis debita laxitas, hęrenti ſanguinis neceſſarius fluor concilietur.

XIX. *Oleum etiam amygdalar. dulc. &c.*) Inter pharmaceutica remedia miris laudibus extollunt nonnulli emetica, atque purgantia medicamenta, in ea præſertim Pleuritide, in qua dolor vergit ad diaphragma, & coſtas ſpurias, indicio manifeſtiſſimo crudos indigeſtoſque humores in præcordiis, & meſenterio adeſſe, qui in pulmones delati morbum ciere valeant, fovere continuo, & confirmare. Quo apparet, eoſdem omni ſtudio, cunctiſque viribus foras per emetica, & purgantia medicamenta eliminandos eſſe, ut viri præſtantiſſimi Ballonius (5) & Martianus (6) luculenter oſtenderunt. Sic vomitu concitato Pleuritidum curationes feliciſſime inſtitutas fuiſſe Riolani, Hartmanni, Salę, aliorumque obſervationibus compertum eſt. Verum prętерquamquod non inflammationis cauſa purgationem inſtitui in eo caſu perſpicuum eſt, ſed materię peccantis in primis viis congeſtę, ecquis prętерea ſe purgantibus, atque emeticis validioribus multum proficere poſſe confidat? Haud ignoro, Gallis (quem non moveant? ſic blaterantes perſępe audivi vulgares Medicos) nihil magis acceptum, probatumque, quam *hemetique* in Pleuritide. Quem non moveant? Nempe illum, qui cum multis, ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus obſervationibus compertum habuerit, in noſtra hac Italię parte, quidquid Gallię, alibique prętent emetica medicamenta, peſſime plerunque cedere. Quamquam notum eſt, D. Hecquetum Pitcarnii diſcipulum, qui novum ſyſtema Medicum conſtruxit ſolidis corporis partibus vim omnem tribuens ad functiones ejuſdem peragendas, ab irritantibus, ac ſtimulantibus cujuſcumque generis, inter quę emetica, ac purgantia eminent, abhorruiſſe. Quid ergo ni liceat conjectare, multos a veteri, communique methodo receſſiſſe, atque morem emetica prędcribendi in pleuritide e medio, quantum illis fas fuit, ſuſtuliſſe? Saltem id eſſet optandum. Ecquis enim eſt, qui non videat, quam dubię, quam incertę ſint virtutis? Purgavit quandoque Hippocrates ipſe in inflammationibus, ut notat Cl. Martianus (7): Purgavit autem, ubi cacochymia viguit, & materia inflammationem efficiens turgens fuit. Raro autem id contingit, ſi eidem fides habenda (8), ubi ait : *concocta medicari oportet, & moveri non cruda, neque per initia, niſi materia turgeat, raro autem turget*. Quare ſatius duxerim, in viſcerum inflammationibus alvum oleo amygdalarum dulcium leniter ſubducere, cujus pulcherrima laus eſt, dolorem ſedare, debitam fibris laxitatem, humoribus fluorem conciliare, quo hęrens, atque impacta pulmonibus materies facilius dimoveatur, atque diſcutiatur; ſaltem nocere non poſſe.

XX. *Oleum ſemin. lin. recentiſſimum &c.*)

(1) *obſ.* 8. (2) *com. in aph.* 8. *ſec.* 5. (3) *Vid. Riverius obſ.* 79. *cent.* 1.
(4) *lib.* 1. *Epid.* (5) *Epid. fol.* 79. (6) *In coac. Hippocr.* 73.
(7) *de vict. rat. in acut. n.* 36. *& lib.* 3. *de morb. n.* 9.
(8) 1. *aph.* 24.

Oleo ſeminum lini non ſolum emolliendi, laxandique, ſed aliquantulum reſolvendi facultatem ineſſe præclare oſtendit Cl. Baglivus (1) inquiens : *Oleoſa ſubſtantia pulmonum fibras inflammatione contractas, criſpataſque, & ob id fluidorum circulum impedientes laxat, lenit, & in priſtinum reſtituit, parte vero leniter ſulphurea, ac volatili blanda congrumatum, concretumque in pulmonibus ſanguinem ſolvit, & in priſtinum motum reſtituit* . Sed diligenter curandum eſt, ut recentiſſimum illud ſit . Secus enim non ſolum emolliendi, laxandique, reſolvendi ſi libet facultatem amittit, ſed irritando evadit opportuniſſimum : id quod de oleo quoque amygdalarum dulc. vel ſimilibus dictum velim, quæ vel temporis diuturnitate, vel calore rancida fiunt ac lævitate illa ſua ſpoliata aſpera ea ratione evadunt, qua opus eſt ad mordendum inſigniter, atque acriter vellicandum .

XXI. *Decoctiones theiformes fol. malvar. &c. copioſæ, & calidiſſimæ* .) Ubi per venæ ſectionem majus ſanguini ſpatium concedatur, minuſque ſit eidem ad fluendum impedimentum, ea in uſum vocari debent, quæ eumdem ulterius attenuare valent, diſſolvere, tenuem, ac fluxilem reddere, atque ea ratione alterare, qua opus eſt ad hærentis materiæ reſolutionem, tumoriſque diſcuſſionem . In horum cenſu veniunt primo decoctiones ex plantis emollientibus paratæ, quæque ſpecifica quaſi virtute pectoris affectionibus opitulari reputantur copioſæ, & calidiſſimæ epotæ . *Copioſæ*, inquam, & *calidiſſimæ* : a quo potiſſimum maxima earum virtus dependet . Uti enim copioſæ ſunt, moleculaſum ſanguinis firmum nexum, texturamque, propter quam lenteſcit, ac ſtagnat, diſſolvunt, eaſdem diſſociant, diſgregant, atque ad fluendum aptiores reddunt, uti calidiſſimæ ad reſolvendum exiſtunt opportuniſſimæ . Quo loco minus mirari ſubit, Cl. Baglivum alterantia copioſa, & calidiſſima epota inter potiora arcana adverſus pleuritidem aut peripneumoniam repoſuiſſe .

Stib. diaphoret. mandibul. Luc. piſ. &c.) Hiſce addenda illa, quę ſpecioſo antipleuriticorum titulo paſſim inſigniri ſolent, quorum materies ex triplici Regno deſumitur, Animali, Vegetabili, & Minerali . Ex Animalibus ſunt partes oſſeę, ut Dens Apri, Mandibulę Luc. piſcis, Corn. Cervi, & ex eodem elicitus ſal volatilis, uti etiam ſal volatilis ſanguinis humani, urinę, viperarum, ſanguis hircinus, ſperma ceti, lapides multi in nonnullorum Animalium ventriculis, aut aliis viſceribus concreti, ut lapis Hyſtricis, Bezoar, aliaque plurima, quorum accurata extat deſcriptio apud Kempfer. (2) . Ex vegetabilibus ſunt plante omnes ſale volatili, ſubtilique oleo fœtę, uti Scabioſa, Bellis, Scorzonera, Carduus Sanctus &c. Camphora . Ex mineralibus tandem, & quidem arte chymica paratis ſtibium diaphoreticum, aliaque id genus, quorum uſu ſanguinis curſum concitari, ſimulque craſſiores ejus partes reſolvi, nec non arctam nimis, ac denſam compagem attenuari, & univerſam ſanguinis maſſam rareſcere communiter perhibetur. Quę quamvis de pleriſque illarum rerum vere dicantur, ne de Stibio diaphoretico, Mandibulis Luc. piſcis, ac ſimilibus dici queant, facit potiſſimum ea ratio, quod fixiorum diaphoreticorum claſſi accenſenda eadem ſunt, ſeu illa, quę ſenſim acorem, quo ſucci preſertim primarum viarum imbibuntur, a quo ſanguinis denſitas, & arctior compages oriebatur, corrigendo ad diaphoreſim diſponunt . Atque hęc quidem inter initia viſa ſunt convenire, ne furor, atque agitatio augeatur, fervorque nimius, atque orgaſmus ſuſcitetur . Ex his fere conficitur pulvis antipleuriticus, quo ejuſcemodi morbos Vir in praxi exercitatiſſimus, dexterrimuſque, Noſocomii S. Marię della Vita Bononię Medicus ordinarius Laurentus aggredi ſolebat eventu prorſus mirabili, qui nuperrime ad ſummam Archiatri Pontificii dignitatem juſſu Benedicti XIV. nihil tale cogitans evectus eſt, tantoque munere ſumma cum laude, multorum annorum curſu perfunctus eſt .

XXII. *Hiſce ſuccedant gelatis . Corn. Cer. &c. boli ex ſanguine hircino, ſperm. cet. ..... camphora* .) Decurſu morbi, & ubi vehementius diſſolvendum ſit, ſi volatiliora adhibeantur, quæque reſolvendi inſigni virtute donantur, quorum in cenſu veniunt gelatinæ Corn. Cerv. paratæ

(1) *append. ad Pleuritid.* (2) *Amœnit. exotic. faſc. 2. ſect. 3. p. 391, ad 406.*

tæ in aquis plantarum, quæ volatilium, ac tenujum particularum divites ſunt, ſanguis hircinus, ſperma ceti earumdem plantarum extractis unita, dici vix poteſt, quam apte ægrorum incolumitati conſulatur! Neſcio autem an camphoram cæteris omnibus anteponam. Cum enim camphora ſulphur ſit ſubtiliſſimum, volatiliſſimum (ut c. 3. de phrenitid. lib. 1. oſtendimus) quod receſſus omnes noſtri corporis abditiſſimos penetrat, in medullarem uſque Cerebri ſubſtantiam ſe inſinuat, torpentes ſpiritus excitat, cæco impetu hac illac ruentes in ordinem redigit, languentes vires cordis in priſtinum ſtatum reſtituit, manifeſtum eſt fluidorum arctam nimis, ac firmam compagem diſſolvi, attenuari, excretiones omnes promoveri, hærentes alicubi humores dimoveri, circulo reſtitui, atque hinc prodeuntes viſcerum inflammationes utcumque auctas, & in gangrænam ſphacelumque tendentes certo, feliciterque debellari. Novit præclara hæc emolumenta Baglivus, atque Medentibus ſalubre monitum reliquit, tunc cum viget in pleuritide diſſolvendi indicatio, ad camphoram tamquam ad ſacrum confugiendum eſſe. Cæterum ſi boli ab ægris ferri minus commode poſſint, nihil vetat, quominus iiſdem indicationibus ſatisfaciamus per mixturas ex aquis, quæ tenuibus fœtæ ſunt particulis, & reſolven di vi pollent, & iiſdem fere pulveribus, excepto ſpermate ceti, quod oleoſum cum ſit, minus ſolvi patitur, & ingratum potum efficit. Ejuſce porro loco eſſe poſſunt prædictum ſtibium, dens Apr. Bezoar & ſimilia.

XXIII. *Veſicantia quoque, præſertim ubi res ſit cum ægro laxioris habitus &c.*) Utrum veſicantia in pleuritide, ac peripneumonia conveniant, inter Medicos nequaquam convenit. Sunt enim qui ſine ullo fere diſcrimine in morbis acutis eadem proponunt, duce Freindio (1). Alii e contra non niſi raro, & in morbis fere deſperatis iiſdem duce Bellino utuntur (2). Pro hac quæſtione perſolvenda animadvertendum eſt, veſicantia, in quorum compoſitione cantharides principem locum obtinent, acres, ac fere urentes particulas in ſanguinem introducere, ſolidas partes mirum in modum extimulare, non ſolum cutim, cui applicantur, divellendo, lacerandoque, ſed etiam nervos, & membranas omnes, ut pulſus concitatiores, veſicæ dolores, vigiliæ, mictus ſanguinei, urinæ ardores, & aliquando ſuppreſſiones, aliaque ſymptomata, quæ a veſicantibus obſervari ſolent, manifeſtum reddunt. Itaque illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, veſicantia prodeſſe plurimum in pulmonum inflammatione a craſſo, viſcido, lentoque ſanguine, ac fibrarum laxitate oriunda. Particulæ enim cantharidum acres, mordaceſque compagem ſanguinis majorem in modum diſſolvunt, atque in validiores, vehementioreſque contractiones ſollicitant vaſa ſanguifera, quæ propterea validius, & fortius ſeſe contrahendo obſtructionem, atque hinc ortam inflammationem tollunt. Ex adverſo ſi inflammatio a nimia ſanguinis acredine, quæ vellicando, convellendoque extremitates vaſorum ſanguiferorum liberum ejuſdem excurſum prohibet, exoriatur, periculum eſt, ne addito acerrimo ſale cantharidum, convulſio vaſorum major fiat, atque inflammatio augeatur, aut confirmetur. Prudentis igitur eſſe duxerim, priuſquam veſicantia admoveantur, ad ægrotantis temperiem, & ſymptomata morbum concomitantia diligenter attendere. Si æger laxioris fuerit habitus, ſeu temperamenti, ut ajunt, pituitoſi, præhumidi, idem porro ſpirandi, & tenacis, ac viſcidi ſputi difficultate detineatur, ecquis ad credendum vehementer non adducatur, morbum a craſſitie, viſciditate, ac lentore ſanguinis, humorumque pendere? Cum vero ita ſe res habeat, quodnam remedii genus veſicantibus aut efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius? Addit vim animis illa cogitatio, per ulcera, quæ a veſicantibus excitantur, pravos, vitioſoſque humores naturam non raro extra corporis confinia educere: unde egregie Hippocrates (3): *In pulmoniis quicumque tumores fiunt ad crura optimi ſunt &c.* Hoc certe remedii genere vel alvi fluxum tolli, atque ſputum promoveri non ſemel deprehendi, ut adnotavit Baglivus, cum ex adverſo in aduſtis corporibus, & ſputo nimis tenui, atque acri exiſten-

(1) *com. de febribus q. 289.* (2) *De M. S. tract. de ſtimul. p. 167.*
(3) *in prognoſt.*

exiſtente funeſtos plerunque eventus obſervarim.

XXIV. *Quo tenacia, ac viſcida ſputa facilius educantur, lambitiva ex aquis Malvar. Violar. &c.*) Lambitiva, ſeu anacathartica remedia præſcribere in pleuritide, aut peripneumonia, in qua nullum appareret ſputum, quod initio morbi plerunque contingit, ridiculum plane eſt. Cur enim lambitiva præſcribantur ad educendam materiem, quæ vel non hæret in bronchiis, vel ſi hæret, ad excretionem eſt inepta? Varia autem eſſe debent, pro varia ipſius ſputi conditione, ita ut ſi tenax, ac viſcidum fuerit, ea locum habeant, quæ nonnihil ſtimulando operantur; ſi vero nimis tenue, & acre ſit, ea quæ nonnihil incraſſando. Illa deſumuntur ex ſyrupis aqua dilutis, qui ratione partium ſalinarum ſacchari, quas continent, leniter ſtimulant; hæc ex farinoſis, pinguibus, ac mucilaginoſis corporibus, inter quæ elegans illud ex farina amyli, & oleo amygd. dulcium paratum, aliaque id genus.

XXV. *Ubi Empyematis facti jam ſigna appareant &c.*) Duo ſunt, quantum arbitror, ad quę totum dirigi curationis Empyematis conſilium debet. Primum ut pus in cavitatem effuſum foras eliminetur, deinde ut pulmonum ſubſtantia laxata nimis ad priſtinum tonum reſtituatur. Vię, per quas pus excerni valet, plures ſunt, omnium commodiſſimę vię urinę, & ſputi. Quo loco animadvertendum eſt, pus neque per ſputum excerni poſſe, niſi abſorbeatur ab extima pulmonum membrana, & in ductus tracheales, ac veſiculas pulmonales introducatur, & mediante tuſſi per os expellatur, neque per urinas niſi a vaſis, quos Cl. Raymundus Vieuſſenius (1), Laurentius Bellinus, & Herman. Boerhaavius (2) abſorbentes vocant, excipiatur, atque una cum ſero urinario per Renes in veſicam deferatur. Quę res multis minus probatur, commendaturque, qui ductus hoſce, ſeu vaſcula abſorbentia minime dari ſuſtinent, vel ſi dantur, inepta eſſe ad pus, quod in thoracis cavitatem effuſum eſt recipiendum, tranſmittendumque. Ac primum quidem experimento opinionem ſuam confirmare nituntur. Si enim aer in pulmones mortui Animalis injiciatur, aerem nullo pacto extra pulmones ipſos excerni deprehenſum eſt, indicio ſatis manifeſto, nullos adeſſe ductus, ac meatus, per quos ea, quę in pulmonibus continentur, quamvis tenuiſſima ſint, excerni queant per extimam ipſorum membranam. Verum ſi nullum adeſt commercium ab interna pulmonum ſubſtantia extra eamdem, ridiculum plane videtur aſſerere, aliquid extra pulmones ſitum in ipſam ipſorum pulmonum ſubſtantiam inſinuari poſſe, altiuſque penetrare. Quamquam ſi dentur, arduum, atque inſolens explicatu videtur, qui fiat, ut puris ipſius tenacitas, ac craſſities impedimento non ſit, quominus abſorbentes ductus obſtruantur, occludanturque. Ad hęc tamen luculenter reſpondent qui in contraria ſunt opinione. Ac primum quidem ex experimento allato nihil certi colligi poſſe putant, quo ſtatui poſſit, nullos adeſſe ductus, ac meatus, per quos ea, quę in pulmonibus contenta ſunt, extra eoſdem educantur. Experimenta enim quę fiunt in corporibus mortuis ęquivoca ſunt. Quot enim ſunt in corporibus viventibus, quæ in cadaveribus nulla ratione deprehendi unquam potuerunt? Quidni liceat conjectare ex nimia diſtentione bronchiorum, atque veſicularum pulmonalium, quæ ex violenta aeris per follem immiſſione in pulmonum ſubſtantiam exoritur, ductuum ſi quæ ſint orificia præcludi, atque ejuſdem excretionem inhiberi? Quamquam ſi nulli ſint ductus, ac meatus, per quos aer extra pulmonem excerni queat, non inde illud colligi poſſe videtur, nullos eſſe, per quos aliquid, quod in cavitatem thoracis effuſum ſit, in eumdem ſe inſinuare queat, atque ipſius ſubſtantiam penetrare. Illud enim accuratiorum Anatomicorum obſervationibus compertum eſt, iſtiuſmodi ductus terminari in venas, quę ſunt cavitates ab extremis ad truncum, a trunco ad extrema. Id quod in cute prę cęteris manifeſtum eſt, in qua reperiri vaſa hęc abſorbentia, ſuadent morbi, qui contagione contrahuntur, & inunctio mercurialis, in quibus & miaſma malignum, & hydrargyrum penetrata extrema cute in vaſa exinde venoſa tranſmittitur, ab his in arteriam Aortam, & in univerſum corpus diffunditur. Vaſa eadem in cavitatibus corporis reperiri pręter vaſa lactea, quę in

(1) *in novo vaſorum corporis humani ſyſtemate.*
(2) *tract. de virib. medicam. 5. & de methodo diſcen. medic.*

in inteſtinis chylum abſorbent, experimento Cl. Nuky demonſtratur. Si enim Abdomen cujuſvis Animalis erecti ope ſiphonis per proceſſum peritonęi aqua diuretica, v. g. tinctura thee repleatur, & diſtendatur, intra viginti quatuor horas aquam omnem diſſipari obſervatum eſt, indicio manifeſtiſſimo, aquam ab hiantibus abſorberi, & ſanguini miſceri. Quid plura? Si quis intra cubile degat, in quo ſit vapor terebinthinę, urinas reddi odore violaceo prędita experimento Cl. Hombergii compertum eſt, indicio ſatis manifeſto, aerem ipſum in pulmonibus ſanguini miſceri, ut Cl. Meryus Academicus Pariſienſis teſtatus eſt, qui illuſtrem Bartholini, & Borelli de reſpirationis uſu doctrinam pro ſua venditans (quamvis eamdem plurimum illuſtravit) innumera alia in eamdem ſententiam experimenta tulit (ut rationes mittam quamplurimas ad demonſtrandam aeris neceſſitatem in Animalibus deſumptas ex folliculis, quos in ovo incubato invenit Bellinus; ex Gaſſendi experimento de piſcibus ſubtus glaciem degentibus, quos, niſi eadem diſrumpatur, ſuffocari teſtatur; ex Malpighii obſervatione in vermibus, quos innumeris tracheis ad inſpirandum aerem donari deprehendit) quæ ſi vera ſunt, quicumque ad Mariotti, Etmulleri, Pitcarnii, Drachii, Suammerdamii, Boerhaavii, quorum alii alia in perdifficili, ac perardua quæſtione opinati ſunt, omnes vero uno ore inficiati ſunt, vel incertum eſſe judicaverunt, aerem in pulmonibus ſanguini miſceri, opinionem accedat, garrire, & ſomnia narrare videatur. Quamquam ne Meryus quidem quæſtiones fugit, & difficultates, cum docet, eidem vim ineſſe ad circulationem ſanguinis cum per vaſa pulmonum, tum univerſi corporis promovendam, nec pondus ipſius, & elaterem in muneris partem vocat, ut multi cum Drachio, Suammerdamio arbitrati ſunt, multo minus cęteras omnes qualitates, quę proprię ſunt aeris, moderatam ſcilicet caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem, aliaſque ejuſcemodi, quas adeo neceſſarias eſſe crediderim ad prędicta munera obeunda, ut nihil magis. Sed quorſum phyſiologicę quęſtioni diutius immoremur? Redeamus unde diſceſſimus. Nonne quotidiana experientia compertum eſt, pus in cavitatem thoracis effuſum, per ſputum, urinas, aliaſque inexpectatas vias eductum fuiſſe? Celebre eſt, quod narrat Tulpius, non ſolum pus Empyematicum, ſed forte intruſam turundam in cavitatem thoracis, dum vulnus pectoris curabatur, a pulmonibus abſorptam fuiſſe, & per ſputum eductam. Quod ſi verum eſt, an nobis officiat memorata illa tenacitas, ac craſſities puris, viderint alii.

In hunc finem decoct. heder. terreſtr. ..... ſyrup. therebin. &c.) Quamplurima ſunt, quę ad ſputum, atque urinam ciendam paſſim a practicis commendantur. Ea autem ſolum hic locum habere videntur, quę balſamica vi, eaque blandiſſima, & non admodum calefaciente pollent. Inter hęc eminet hedera terreſtris, quę mirum, quantum ad materiam purulentam in pectore collectam evacuandam, & ulcus potentiſſime detergendum valeat! Nimirum hujuſce ſulphureę partes cum ſalinis non adeo arcte commixtę ſunt, ut ſanguinem valde commoveant, atque exagitent, quemadmodum alia diuretica facere ſolent, quę calidorum nomen ſunt adepta, ut radices petroſelin. ap. fęniculi, ac balſama multa, uti balſamum Peruvianum, Copaibę, della Meca, quę exagitandi, atque excalefaciendi facultate ſunt prędita, unde eorum uſu febris, & macies augetur. Syrupus porro terebinthinę cum parum ejuſdem ſubſtantia ſit ſaturatus, non admodum calefacit & cum ad ſputum, tum maxime urinas ciendas exiſtit aptiſſimus. Si de hydromelle ſermo ſit, illud eſſe remedii genus, quod magnam vim habere ad urinas ciendas, ac ſputum, ipſe Hippocrates teſtatus eſt.

XXVI. V. com. in aph. 25. cap. 3.

XXVII. *Hiſce fruſtra adhibitis &c. paracenteſim &c.*) Paracenteſim, ideſt thoracis apertionem ope inſtrumenti idonei in latere affecto inter coſtam 4., & 5., vel 5. & 6. ab inferioribus numero ducto pus lente, & per vices educendo ſolemne eſt Chirurgis inſtituere. Verum tunc ſolum cum certiſſima ſint puris indicia in pectoris cavitate collecti, vires conſiſtant, nec inſignem labem contraxerint pulmones, eſt adminiſtranda. Secus enim non ſolum non Empyemati curando par erit operatio, ſed mortem accelerabit. Paracenteſim in juvene quodam poſt ſuppuratam pleuritidem em-

empyematico facto feliciſſime inſtitutam vidi Bononię a ſolertiſſimo Chirurgo, ac Medico P. Paulo Molinello in Xenodochio Vitę, ac inſigni puris educta copia repetito uſu decoct. heder. terreſtr. cum ſyrup. terebint., nec non optima victus ratione ex juſculis hordeac. avenaceis &c. in priſtinum valetudinis ſtatum eumdem reſtitutum.

Cauteria inter unam, & alteram coſtam.) Rariſſimum eſt, nulla ſectione, inciſione, punctione effuſos in cavitatem pectoris humores educi, ſed ſolis fonticulis, & cauteriis. Teſtem hujuſce rei tamen habemus Williſium, apud quem extant mirabiles binę hiſtorię ęgrotantium, poſt ruptam pulmonis vomicam pus merum, & fętidum copioſe expuentium, qui fontanella in latere aperta ad eam partem, ubi pus aſcendere videbatur, brevi ſanitati reſtituti fuerunt. Cauterio admoto inter quintam, & ſextam vertebram thoracis multum pus eductum fuiſſe notavit laudatus Williſius pharmaceut. rat. par. 2. ſect. 1. cap. 2. de pulmonis vomica.

CAPUT V.

De pectoris Hydrope.

I. *Serosus humor per universum corpus diffusus anasarca, in capite collectus hydrocephalum, in imo ventre ascitem, in testibus hydrocelem, in thorace demum hydropem pectoris constituit.*

II. *Causæ generales sunt* 1. *soluta nimis sanguinis compages.* 2. *laxatus nimis solidarum partium tonus.* 3. *vasorum fundentium orificia nimis amplæ, & patentia.* 4. *absorbentium nimis angusta, atque obstructa.*

III. *Causæ remotæ sunt diuturnæ viscerum chylificationi inservientium læsiones, mesenterii, hepatis, pancreatis, cæterarumque glandularum imi ventris obstructiones, febres intermittentes tertianæ, quartanæque longæ, ac diuturni morbi, hæmorrhagiæ largæ quæcumque, suppressæ naturales evacuationes mensium, hæmorrhoidum, urinæ post largas aquæ potationes, vitia organica in thorace latentia, uti aneurysmata, polypi cordis, & aortæ, tubercula, vomicæ, nec non asthma, hæmoptysis, aliæque pulmonum affectiones.*

IV. *Signa sunt extremarum partium præsertim inferiorum tumor impressi digiti vestigium aliquandiu retinens, qui sensim sensimque ad superiores partes in dies singulos marcescentes, pallentesque ascendit, urina parca, rubra, lixivialis, sitis inextinguibilis, spirandi difficultas in decubitu præsertim nocturno tanta, ut e lecto surgere cogatur, minus frequens, & molesta morbi progressu, quam comitari solet tussicula sicca, dolor gravans in pectore, aquæ fluctuantis, & suffocationis sensus a corporis agitatione, vel inclinatione, cordis palpitatio, lipothymia frequens, febris lenta cum pulsu inæquali, perturbato intermittente.*

V. *Hydrops, quacumque ex causa nascatur, curatu difficillimus morbus est.*

VI. *Lethalis certe, qui a vitio aliquo organico in thorace latente exoritur.*

VII. *Hydropi pectoris sputum cruentum supervenire malum.*

VIII. *In anasarca, & ascite, quo serosos humores educam, contentus sum pulvere ex tartar. solubil.* ℥ *i. radic. mechoac. s. p. rhabarb. elect. pul. a* ℈ *i. semin. anisor. pul.* ℥ *.s. M. detur ex jusculo tenerioris pulli repetendo quolibet quarto, aut quinto die per mensem circiter.*

IX. *Horum dierum intervallo pulvis exhibeatur ex tartar. vitriol. arcan. duplic. sal. armon. a* ℈ *i. ex decoct. in jure pulli fol. agrimon. absynt. radic. gram. alth. unc. vi. cum syrup. de alth. fernel. unc. i.*

X. *Hisce frustra adhibitis boli ex millep. lumbr. terreſtr. pp. a gr. xv. sal. volat. succin. gr. viii. cum extract. baccar. juniper. visi sunt convenire. Superbibat æger decoct. in jure pulli fol. chærefol. virg. aur. rad. eryng. Ononid. asparag. apy, fæniculi unc. vi. add. syrup. quinque radic. aper. unc. i.*

XI. *Validiora hisce vix locum habent.*

XII. *Hisce succedat vinum Kalybeatum in hunc fere modum.*

℞. F. *absynt. Marrub. alb. flor. centaur. min. a* M. *.s. baccar. junip. cortic. ex lign. tamaris. median. frax. a unc. ii. rhabarb. unc. i. limat. mart. nodul. incluſ. unc. i. .s. Vin. alb. gener. Lib. xii. Relinq. in infuſ. per horas xxxx. colat. detur ad cocl. iv.*

XIII.

XIII. *Quibus ſuppreſſæ ſunt naturales menſium evacuationes , venæ ſectio adminiſtrari poteſt .*

XIV. *His etiam conferre mirum in modum viſæ ſunt ſequentes pillulæ .*

℞. *Limat. Mart. ſuper lapid. porphyrit. s. lævig.* ℥ *ii.*

Croc. opt. pul. ℈ *ii.*

Cum Sagap. ℥ *iii.*

Alo. ſuccotrin. ℥ *ii. .s. M. cum ſyrup. de cichor. cum rhab. q. s. f. pil. n. xxxx. Cap. iv. quotidie ; ſuperbibendo decoct. fol. agrim. artemiſ. ſummit. abſyntii , ac motum corporis inſtituendo .*

XV. *Ad acidulas opportuno tempore deveniendum .*

XVI. *In hydrope pectoris vix lenientia ex flor. Caſ. , pulpa tamarind. Man. & ſimilibus locum habent .*

XVII. *Immo tutius eſt uti Clyſter. ex urin. pur. unc. vi. terebinth. vitel. ov. ſolut. unc. .s. nitr. pur.* ℥ *.s. M. pro uſu dicto .*

XVIII. *Ad urinas ciendas ſolum boli ex millep. lubric. pp. a gr. xv. ad xxx. ſal. volat. ſuccin. gr. vi. ad x. cum balſam. Copai. q. s. viſi ſunt in hac hydropis ſpecie convenire .*

XIX. *Diuturnus quoque uſus decoct. hed. terreſtr. unc. vi. addendo ſyrup. terebinth. unc. i. , vel hujuſce loco præmittendo bol. ex terebinth. Cypr. gum. ammon. a* ℈ *i. , mira præſtat .*

XX. *Hiſce addenda leviſſima martialia : cujuſmodi ſunt tinctur. mart. ſuc. pom. extr. a gut. xx. ad xxx. ex juſculo veronica alterato per xxx. circiter dies , quibus tandem ſuccedat elix. propriet. Paracel. , vel tinctur. abſynt. ad gut. xxx.*

XXI. *Sed præ ceteris optima victus ratio inſtituatur , quæ cum in omni hydrope , tum in hoc maxime eſt convenientiſſima . Quare a nimio potu abſtineat æger , famem , ſitim patienter ferat , carnibus parce utatur , iiſque facilis coctionis , utatur radicibus raparum ſub ciner. calid. coctis , earumque decoctis , & pulmentis in prandio , vel cœna , moderate exerceatur , ab animi curis diligenter caveat .*

CAPUT V.

De pectoris Hydrope.

I. *Seroſus humor per univerſum corpus diffuſus anaſarca &c.*) Hydrops , ſi nomen ſpectes, nihil aliud ſignificat, quam genus morbi , quo aqua præter naturam ſub cute naſcitur , qua corpus turgeſcit , ab ὕδωρ, aqua , & ὤψ, facies . Aquoſus humor ſi per univerſum corpus diffundatur , ita ut ſpongiarum inſtar , aut papyri univerſa caro permadida appareat , ideoque in ea totum corpus intumeſcat , ac mortuo ſimile evadat , hydropem univerſum , qui anaſarca vocatur , ſi vero aliquam partem tumefaciat , peculiarem , qui a partis nomine appellationem ſumit , conſtituit . Si enim in capite colligatur , hydrocephalus ; ſi in thorace , hydrops pectoris ; ſi inter membranam , peritonęum , & inteſtina coacervetur , qui locus aquoſo humore utris modo impletus videatur , aſcites , quem & utricularem dicunt , Barbari corrupta voce Aſelitim ; ſi in teſtibus , hydroceles appellatur .

II. *Cauſæ generales ſunt . 1. ſoluta nimis ſanguinis compages . 2. laxatus nimis &c.*) . Non eſt cur veterum Medicorum ſententiæ circa hydropis cauſam examinandę diu immoremur, ceu quę falſis omnino , ac commentitiis innixa principiis per ſe corruit . Cum nempe ſanguificationem eſſe hepatis opificium exiſtimarent , ab ejuſdem imbecillitate , atque intemperie frigida , qua crudus , pituitoſus , aqueus ſanguis gigneretur , quique ad partes delatus albo pallidoque colore inficeret , atque in tumorem attolleret , hydropis cauſam repetebant . Quod poſt inventam ſanguinis circulationem quam ridiculum ſit , atque a ratione alienum , lippis ac tonſoribus notum eſt plus , quam ipſorum digiti , atque ungues . Quid probabiliori ratione affirmari queat , & ab obſervationibus anatomicis , atque experimentis ducta , paucis habeto . Cl. Richardus Louverus (1) cum venam cavam vivi canis prope cor forti vinculo ligaſſet , ac mortuum non multo poſt canem ſecuiſſet , magnam ſeroſi humoris copiam in ejus abdomine collectam ſe obſervaſſe teſtatus eſt. Cum jugulares alterius canis venas ligaſ-

(1) *tract. de cord. cap.* 2.

ſet ,

ſet, eumque intra dies duos quaſi angina ſuffocatum, ac mortuum ſecuiſſet, muſculos omnes, glandulaſque capitis ſero diſtentas deprehendit, cum vivo adhuc cane partes omnes ſupra ligaturam mirum in modum intumuiſſent, ac non ſolum ex oculis ipſius copioſæ lacrymę, ſed plurima etiam ſaliva ex ore, perinde ac ſi Mercurium ſumpſiſſet, profluxerit. Quę quidem omnia adeo evidenter oſtendunt, ſeroſos humores per vaſorum tunicas exſudare, ut nullus ambigendi locus relinquatur (1). Quid ſi ſoluta nimium ſit ſanguinis compages, laxatuſque ſolidarum partium tonus? Si primum contingat, ecquis eſt vel rudioris ingenii, qui non videat, ſeroſam partem a reliquarum nexu ſecedentem facile e glandularum, membranarumque poris elabi, atque inde vel in cavitates effundi, vel intra partium laxam ſtructuram ſubſiſtere? Sin alterum, diductis nimium minimorum lymphaticorum poris, ſeroſo humori exitum dari manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. En hydropem.

Vaſorum fundentium orificia nimis ampla, & patentia, & abſorbentium nimis anguſta.) Duobus expoſitis modis, quibus ſeroſi humores in cavitates effunduntur, vel intra partium laxam ſtructuram ſubſiſtunt, duo alii addendi ſunt, ex quibus haud infrequenter, licet vix, ac ne vix quidem animadverſi hydropes ſolent exoriri; vaſorum ſcilicet fundentium orificia nimis ampla, & patentia, abſorbentium vero nimis anguſta, atque obſtructa. Quę fuit Raymundi Vieuſſenii opinio, nec non Laurentii Bellini, & Hermanni Boerhaavii (2). Putant ſiquidem viri præſtantiſſimi, eſſe in corpore Animalium vaſa quædam ſeroſos, ac lymphaticos humores ad ſuperficiem viſcerum, ac membranarum irrorandam, ſiccitatemque præcavendam in cavitates effundentia, & quędam, quę effuſos eoſdem humores in cavitates reabſorbent, & ſanguini miſcent, quę propterea abſorbentium titulo inſignita fuerunt. Ejuſmodi vaſa in cavitatibus corporis reperiri pręterquamquod ſuadere videntur vaſa lactea, quę inteſtinis chylum abſorbent, apertiſſime demonſtrat experimentum Cl. Nukii alibi allatum (3). Si enim Abdomen cujuſvis Animalis erecti ope ſiphonis per proceſſum Peritonęi aqua diuretica, puta tinctura thee, repleatur, ita ut diſtendi cogatur, intra viginti quatuor horas aquam omnem penitus diſſipari contingit, atque Abdomen ab omni diſtentione prorſus liberari, indicio adeo manifeſto aquam ab orificiis hiantium vaſculorum abſorberi, & circulo reſtitui, ut nihil ſit manifeſtius. Si igitur per ampla nimis vaſorum fundentium orificia plus ſeroſi humoris effundatur in cavitatem pectoris, quam per abſorbentium evehi in ſanguinem poſſit, vel ſecundum naturæ leges iiſdem effuſis, nihil per abſorbentium anguſtiam, obſtructionemve in ſanguinem infundatur, collectionem aquę fieri tantam, ut hydropi producendo opportuniſſima exiſtat, adeo manifeſtum, atque omnibus obvium eſſe exiſtimo, ut curioſiore explicatione minime indigere jure putem.

III. *Cauſæ remotæ ſunt diuturnæ viſcerum chylificationi inſervientium læſiones.*) Labefactato, perverſoque digeſtionis ciborum opere, fieri minus vix poteſt, quin craſſæ, viſcidæ, crudæque particulę in ſanguinem introducantur, quibus balſamicę, oleoſæ, tenues, ac volatiles obruantur quaſi, unde turbetur congrua, atque opportuna miſcella humorum; ſeroſęque partes a reliquarum nexu ſecedentes, vel in vaſis lymphaticis ſubſiſtant, aut ocyus quam par eſt moveantur, vel quaſi tranſcolatæ e vaſorum tunicis exſudent, & in cavitates effundantur, unde hydrops. Cum Hippocrates (4) inter frequentes hydropis cauſas principem obtinere locum humorum, ac totius corporis colliquationem affirmavit, quidni liceat conjectare, non aliud, quam ſanguinem nimis tenuem ſeroſumque ea, quam diximus ratione, intellexiſſe?

Meſenterii, hepatis, pancreatis &c. obſtructiones.) Et ſalivam, & ſuccum pancreaticum, & bilioſum, & qui ab inteſtinorum, & Meſenterii glandulis extillat, ad chyli elaborationem, perfectionemque concurrere certo certius eſt. Qua de re plura ubi de affectione hypochondriaca. Cum igitur hepatis, pancreatis, cæterarumque glandularum imi ventris obſtructiones contingant, prędictorum ſuccorum ad chyli elaborationem, perfectionemque concurrentium ſecretionem vel penitus aboleri, vel plurimum imminui debere manifeſtiſſima res

(1) *Vid. cap.* 2. *com. in aph.* 2. (2) *loc. cit. cap.* 4. *com. in aph.* 25.
(3) *Ibid.* (4) *lib. de inter. affect.*

res eſt ; hinc ſanguis incongruarum particularum admixtione coinquinatur , ejuſque naturalis miſcella evertitur , aqueus ſeroſuſque ea ratione evadit , qua opus eſt ad lymphaticorum humorum effuſionem in cavitates, atque hydropem .

Febres intermittentes tertianæ , quartanæque longæ &c.) Mirum febres tertianas, quartanaſque , quę interdum cum a Medicis , tum ab ægrotantibus flocci, nihilique æſtimantur , ſi altas in viſceribus , earumdem ſede , & foco radices egerint , hydropi producendo opportuniſſimas evadere , ut Galenus (1) & Jo. Langius (2) teſtati ſunt . Nempe non ſolum in ſanguine congeruntur viſcidæ , craſſę , ac difficiles interteſque partes , balſamicis jam , oleoſis , volatilibus diſſipatis , vel ſales acres in eodem exaltantur , quibus fibroſa ejus pars comminuitur , exteriturque , unde turbatur optima partium ſanguinis mixtio , ſeroſæque partes a reliquarum nexu ſecedunt , ſed ſpirituum animalium jactura facta , cum partes ad chyli elaborationem , perfectionemque concurrentes , tum univerſæ non ſatis vigoratæ flacceſcunt , laxæque ea ratione evadunt , qua ſeroſis humoribus in cavitates exitus detur , unde hydrops .

Hæmorrhagiæ largæ quæcumque .) Si quę volatilibus , ſubtilibuſque particulis e maſſa ſanguinea extra corporis confinia educendis , ac ſpiritibus diſſipandis ſunt opportuna , hæmorrhagias quaſcumque ſive ex naribus , ſive ventriculo , ſive pulmone , ſive utero , ſive inteſtinis opportuniſſimas exiſtere cenſendum eſt . Fit hinc , ut ſolidarum partium , ac primum quidem ad chyli elaborationem perfectionemque concurrentium tonus vel penitus labefactetur , vel plurimum ſaltem langueſcat , ideoque chylus primum , tum ſanguis aqueus , ſeroſuſque generetur , cordis vero , ac vaſorum omnium robore , vi , atque elatere ceſſante , congrua tollatur ſanguinis mixtio , ſeroſæque partes a reliquarum nexu ſecedant , atque per laxatas tunicas tranſudent , & in cavitates effundantur .

Suppreſſæ naturales evacuationes menſium , hæmorrhoidum &c.) Nullus fere morbus frequentius occurrit , quam hydrops a ſuppreſſione naturalium evacuationum , menſium pręſertim , & hęmorrhoidum . Cum nempe ſanguis in viſceribus imi ventris per Meſaraicas venas valde compreſſas , debiles , tortuoſas , per venam portæ arteriæ munus gerentem , per hæmorroidales , aut uterinas venas in feminis peculiari ſane artificio conſtitutas ferri debeat , tarde admodum , ac ſegniter ferri neceſſe eſt . Quid ſi ſanguis jam in hæmorrhoidalibus , aut uterinis vaſis ſubſiſtens , eaque diſtendens , reſiſtentibus eorum tunicis , minime excerni valeat ? Diſtentiones nimirum vaſorum omnium imi ventris præternaturales fieri contingit , obſtructiones exoriri , quæ bilis in hepate , ſucci pancreatici in pancreate , cæterorumque liquorum a Meſenterii , & inteſtinorum glandulis extillantium ſecretionem inhibendo inſigne chylificationis opus labefactant ; tum vero aucta ſanguinis quantitate , craſſitie , viſciditate , & lentore , per vaſa univerſi corporis ægre moveri neceſſe eſt , eadem majorem in modum diſtendere , fibrarum tunicas conſtituentium tonum evertere , hinc partium ſanguinis perfectam mixtionem tolli , ſeroſas partes a reliquarum nexu ſecedere , unde hydrops . Quibus liquido conſtare arbitror quam caute immodicæ evacuationes , præſertim hæmorrhoidum ſiſti debeant , ne dum morbum debellare volumus , pejorem excitemus . Quod præ cæteris adnotavit Hippocrates (3) inquiens : *Diuturnas curanti hæmorrhoides , niſi una quæpiam ſervetur aperta , periculum aquæ inter cutem , vel tabis impendet .*

Urinæ poſt largas aquæ potationes .) Nemo ignorat , pro diverſa conditione ſanguinis , etiam urinæ diverſam fieri ſecretionem . Si ſero abundet , vel ob imminutas alias ſecretiones , vel ob largiorem potum , urinæ fluxum copioſiorem eſſe manifeſta res eſt . Ita hyeme , & ventis borealibus , quibus inſenſibilis tranſpiratio cohibetur , urina copioſior eſt . In thermopotationibus vero urinę fluxus tantus eſt , ut nonnulli vias excogitaverint diverſas a renibus , ureteribuſque , quibus liquida aſſumpta ſub urinæ forma citiſſimo , breviſſimoque itinere ad veſicam deferrentur , ignorare ſe fatentes , quomodo momento fere temporis per vias ſanguinis ſecerni , & ad veſicam deferri poſſent . Quamquam vero illorum opinionem præclare rejicit Cl. Morgagni obſervatione certiſſima edoctus , renibus calculo , vel ſimili alia cauſa obſtructis nihil omnino urinę , vel minimum reddi , quæ tamen ,

(1) *lib. 3. de loc. affect. cap. 3.* (2) *in epiſt. 48. 39.* (3) *6. aph.*

men, ſi eæ vię adeſſent, fluere per eas deberet. Sed hac de re ubi de calculo renum plura. Illud interim citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, ſi poſt largas aquæ potationes urinæ fluxus cohibeatur, naturalem miſcellam ſanguinis labefactari, ſeroſoſque humores per vaſorum tunicas quaſi tranſcolatos exſudare, & in cavitates effundi.

Vitia organica in thorace latentia, uti aneuryſmata, polypi cordis &c.) Prępipua ſanguificationis organa eſſe cor, & pulmones hodie maxime extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum. Nempe ubi chyli particulę ſanguini in ſubclavia confunduntur, ſtatim in ea ſeſe explicant, in auricula, & dextro cordis ventriculo accuratius miſcentur, ab hoc in arteriam pulmonalem expulſæ a vi, atque impetu irruentis aeris in veſiculas pulmonales, pondere ejuſdem, elaſticitate in minimis ſurculis majorem in modum premuntur, in contactu, & figura mutantur, & fortaſſe ab eodem vaſa ſanguifera ſubeunte (quo loco quæſtio occurrit longe graviſſima, ut innuimus alibi) (1) diſgregantur, diſſociantur, & in motum validiorem aguntur, unde in venas latiores ex minimis capillamentis influentes rariores fiunt, atque in auriculam, & ſiniſtrum cordis ventriculum ingreſſæ ſic atteruntur, comminuunturque, ut illam induant naturam, ad quam tendit naturæ finis, ut globulis ſanguineis componendis, ſero ſeparando, & fibroſæ parti reſarciendæ aptiſſimæ evadant, quę ſunt proprietates ſanguinis in ſuis partibus optime mixti, & naturaliter conſtituti.

Hinc liquido conſtare arbitror, cur poſt offenſiones cordis, & pulmonum hydrops ſubſequatur. Ceſſat enim, aut plurimum ſaltem langueſcit actio illa, qua partes omnes miſcentur invicem, attenuantur, & neceſſariam fluiditatem adipiſcuntur, qua ceſſante ſeroſæ partes a reliquarum nexu facile ſecedunt, & per membranarum poros in cavitates effunduntur, unde hydrops. Quid quod vel corde, vel pulmonibus male affectis, & inſigniter lęſis, liquidorum omnium liber excurſus per eorumdem canales perturbatur, atque hinc morboſę ſeri ſecretiones, atque effuſiones in pectoris cavitatem exoriuntur, quæ hydropem valent procreare? Qua de re obſervationes extant collectæ in Carolo Piſone (2), in Baglivo (3) in M. N. C. (4), in Pezoldo (5), in Bonetto (6). Quo apparet, perperam Veteres ad credendum vehementer adductos eſſe, hydropes pectoris ab Aſthmate prodeuntes non aliunde, quam ex excedenti feri copia univerſum corpus inundantis ob vitiatam hæmatoſim, & turbatam congruam ſanguinis mixturam repetendas eſſe, ita quidem, ut præcedens difficultas reſpirationis ab eadem copia feri pulmonales veſiculas gravantis oriretur: ſiquidem ejuſcemodi hydropes a difficili anhelitu prodeuntes non a feri copia pulmonales veſiculas gravantis, ſed ab ipſa difficultatis reſpiratione ortum traducunt, qua fit, ut liquidorum omnium liber excurſus per cor, pulmones, & univerſum fere corpus labefactetur, unde vitioſæ ſecretiones, excretioneſque feri contingunt. Immo cum innumera ſint, quæ ad naturalem reſpirationem concurrunt, aut cum ejus organis ſunt connexa, nervi, ac ſpiritus animales per eoſdem a Cerebro in partes fluentes, muſculi, quorum numerus percenſeri numerando ſatis nequit, pharynx, larynx, pulmonales veſiculæ, cor, ideoque innumeræ ſint Aſthmatis cauſę, fit, ut hydrops a difficultate reſpirationis ortum traducens innumeras cauſas & ipſe remotas agnoſcat.

IV. *Signa ſunt extremarum partium præſertim inferiorum tumor &c.*) In eodem homine pro vario partium ſitu, & diſtantia a corde, nec non pro varia earum ſtructura diverſum eſſe quoque ſanguinis per eas partes fluentis motum perſpicuum eſt. In hepate lentum, ac difficilem eſſe ſanguinis motum ob peculiarem venæ portæ arteriæ vicem gerentis ſtructuram, in liene ob celluloſam, in omento, & utero ob frequentes vaſorum plexus, a pedibus vero reditum eſſe difficilem adeo manifeſtum exiſtimo, ut curioſiore explicatione minime indigere jure putem: hinc eſt, in imbecillioribus, & poſt graves morbos, præſertim vero in hydropicis inferiorum partium tumores contingere; nam propter magnam a corde diſtantiam, ac remiſſiorem arteriarum impetum ſanguis facilius ad quietem compoſitus ſeroſis

(1) *cap. 4. com. in aph. 25.* (2) *lib. de morb. ex ſero.* (3) *in praxi.* *item obſ. 65.*
(4) *obſ. 117. cent. 3. dec. obſ. 3. 161.* (5) *obſ. 77.*
(6) *Sepulchret. An.*

roſis congeſtionibus viam recludit, quę pedum tumorem, & crurum efficiunt, morbique decurſu auctiorem reddunt. Animadverſione autem dignum eſt phęnomenon illud, quod quo auctior fit tumor pedum, crurum, aliarumque partium, eo magis cęteræ extenuantur, ac contabeſcunt. Quod non aliunde, quam ex ſanguinis craſi nutritioni impari reddita, atque ea affecta ratione, qua totus in ſeroſum, atque aqueum humorem reſolvatur, ſi quid ſentio, repetendum traderem.

Urina parca, rubra, lixivialis &c.) Cum in omni fere hydrope peccet partium ſanguinis imperfecta miſcella, qua facile aquoſa a reliquarum nexu ſecedit, & vel in lymphaticis vaſis ſubſiſtit, vel in cavitates effunditur, mirum non, eſt ſi urina parca ſit, rubra, lixivialis, nec quantitati potus reſpondens. Cum enim ſolidę partes in urina contentę a parte fluida quantitate longe ſuperentur; (etenim Cl. Bellini experimentis compertum eſt, ex triginta duabus unciis urinæ ſani hominis in apto vaſe miti calore evaporatę, relictas eſſe in fundo vaſis drachmas ſex craſſę cujuſdam, & melli ſimillimæ materię, cui materiæ ſi aqua communis, vel ipſum urinę phlegma iterum addatur, liquor obtinetur priſtino ſimilis, indicio manifeſtiſſimo nihil eſſe aliud pręter aquam, in qua materia illa ſoluta eſt) quotieſcumque ſeroſa ſanguinis pars a reliquarum nexu ſecedens vel in lymphaticis vaſis ſubſiſtat, vel in cavitates effundatur, manifeſtum eſt, minimum ejuſdem ad Renes deferri, unde urina parca. Cum vero in urina ſales diverſi generis, particulę pingues, & ſulphureę, mucoſę item, & demum terreſtres contineantur, quę aqua optime mixta urinam coloratam reddunt, eoque magis, quo minor eſt aquę copia, liquido conſtare arbitror, cur ob memoratam antea cauſam urina rubra, lixivialis appareat.

Sitis inextinguibilis.) Sitis, quæ liquidorum appetitus eſt, vel ex cauſa manifeſta augetur, puta cantu, locutione, rerum acrium, ſalſarumque abuſu, & hęc quiete, conſuetiſque potionibus temperatur: vel a defectu blandi humoris fauces, gulam, & quandoque ventriculum humectantis, unde areſcentes, ac vellicatæ moleſta contractione afficiuntur, quemadmodum in longis evacuationibus, immodicis exercitiis, & febribus contingit, quibus fit, ut ſanguis vel lymphæ neceſſaria copia deſtituatur, vel nimis citato motu ad glandulas appellente, ſecerni eadem nequeat, & hæc reſtaurantium, ac refrigerantium uſu temperatur, ac miteſcit: vel demum a ſalſo, acri humore ad prædictas partes vellicandum potius, quam humectandum, atque emolliendum idoneo, idque in hydropicis obſervatur, quorum lympha a reliquarum nexu ſoluta, atque in lymphaticis vaſis ſubſiſtens, vel ex iiſdem in cavitates effuſa ſenſim ſenſimque, componentibus ejus partibus a ſe mutuo ſecedentibus, corrumpitur, eamque acrimoniam nanciſcitur, quæ nullis temperari poteſt remediis, niſi morbus tollatur penitus, atque æger in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituatur: unde optime Horatius (1):

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Spirandi difficultas &c.) Ab eodem fero ſanguinis cumulato intra pectoris cavum, idcirco reſtricta ejuſdem pectoris cavitate, motuque diaphragmatis impedito, reſpiratio intercipitur, & conſequenter Dyſpnœa ſubſequitur, ad quam avertendam cogitur ęger e lecto deſilire, & erecto corporis ſitu libertatem reſpirationis ſibi vendicare. Noctu autem, & poſt primum ſomnum hoc ſymptoma frequentius contingit, tum quod aeris nocturni pectus ambientis pondus majus eſt, quam die; tum quod ingruente ſomno ſanguinis circulatio per pulmones difficilius promovetur, intra quos præterea contentus aer a lecti calore, nec non a ſanguinis fervore magis rarefactus pulmonales veſiculas diſtendendo, & ſanginea vaſcula circumprimendo multo difficiliorem ſanguinis in pulmonibus circuitum reddit, unde ſecretionem ſeri, ac lymphę acerrimæ per membranas pulmonum fieri contingit, quæ nerveas fibrillas vellicando, & moleſta contractione afficiendo prohibet, ne ſatis amplietur thoracis cavitas, explicatiſque pulmonibus ſufficiens aeris quantitas recipiatur ad ſanguinis motum per pulmones promovendum, hinc reſpirationis difficultas noctu invadens, ut hoc affectu laborantes nonniſi elevato decubitu, ac quaſi erecta

(1) *lib. 2. od. 2.*

erecta cervice ſomnum capere audeant, ſicuti Heredia (1) in quodam ſe vidiſſe teſtatur, qui noctu ſuffocationis invaſiones ſic pertimeſcebat, ut mallet vigiliis perpetuis conſumi, quam ad dormiendum ſe recolligere.

Minus frequens, & moleſta morbi progreſſu, quam comitari ſolet tuſſicula &c.) Accidere difficultatem reſpirationis inter initia morbi facit potiſſimum ea ratio, quod membranæ pulmonum debito tono gaudent, idcirco a ſero ac lympha acri, quæ ſeparatur, facile in ſpaſmos aguntur, convelluntur que; morbi autem decurſu laxato majorem in modum membranarum tono, irritationi percipiendę impares evadunt, hinc nulla fere moleſtia.

Ab eodem ſero, ac lympha nervoſas partes reſpirationi inſervientes irritante, ac convellente ea ratione, qua aer ſimul ac inſpiratus eſt vehementer extruditur, oritur tuſſicula ſicca ęgros continuo exercens.

Dolor gravans in pectore, aquæ fluctuantis, & ſuffocationis ſenſus &c.) Serum quod in pectoris cavitatem effuſum eſt, pulmonales veſiculas, & bronchia, vel diaphragma gravare perſpicuum eſt, hinc dolor ille in pectore, nec non aquę fluctuantis, & ſuffocationis ſenſus dum corpus agitatur, vel inclinatur. Quod ſignum hydropis cavitatum adeo proprium eſt, ut hoc ſolo apparente de ejuſdem exiſtentia liceat certo certius pronuntiare. Quod præ cæteris adnotavit Cl. Luſitanus (2), & Hippocrates (3).

Cordis palpitatio, lipothymia &c.) Quidquid cor inſigniter ſtimulare valet, ejuſque motum depravare, convulſioni ejuſdem producendę aptiſſimum eſſe, interdum adeo vehementi, ut manu pectori admota repellatur, aut interdum etiam ſolo viſu, aut aure ipſa propius admota ad pectus percipi poſſit, adeo manifeſtum eſt, ut nihil ſit manifeſtius. Ea fere convulſio palpitationis cordis nomine venit. Hinc nil mirum, ſi lympha in pectoris cavum, atque in ipſum pericardium acri, ſalſaque effuſa nerveas cordis fibrillas vellicante, ac moleſta contractione afficiente cordis palpitatio ſuperveniat. Quid ſi convulſio tanta ſit, ut ſanguinis motus intercipiatur, vel aqua in pericardio nimis copioſe cumulata, vel in pectoris cavum effuſa baſis cordis prematur, prohibeaturque ad aliquod temporis ſpatium ſanguinis influxus per arterias coronarias in muſculares cordis fibras? Lipothymiam, atque pulſus intermiſſionem exoriri manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

V. *Hydrops, quacumque ex cauſa naſcatur, curatu difficillimus &c.*) Hydrops pro cauſarum diverſitate, a quibus ortum traducit, plus minus periculoſus practicis videtur; non adeo difficilis, qui a febre e. g., ſuppreſſione menſium, aut aliqua ſenſibili externa cauſa proficiſcitur; cum tamen agatur de morbo compoſito ex vitio fluidarum, & ſolidarum partium; fluidarum quidem, quia in propriis vaſis non continentur, ſolidarum vero, quia laxatus nimis earumdem tonus, vel perverſa ſtructura, fundentium ſcilicet vaſorum orificia nimis ampla, & patentia, abſorbentium vero nimis anguſta, difficillimum autem ſit cum fluidarum, tum ſolidarum partium texturam eo redigere, ut illæ effuſæ jam extra corporis confinia educantur, neve alię deinceps, atque alię ex propriis vaſis elabantur, iſtæ vel in priſtinum ſui elateris ſtatum reſtituantur, vel orificiis ad numerum patentibus donentur, morbum abhinc prodeuntem difficillime funditus evelli poſſe adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

VI. *Lethalis certe, qui a vitio aliquo organico &c.*) Inter organica vitia ad thoracem pertinentia, quę hydropem pectoris excitare valent, principem obtinent locum aneuryſmata, pręſertim aortæ, & polypi cordis. Aneuryſmata quidem fieri dicuntur cum arteriæ tunicis vel a primordiis vitæ minus firmis exiſtentibus, vel ab eroſivo aliquo principio debilitatis, accedente valido ſanguinis impulſu diſtrahuntur nimium, & dilatantur. Quod nullibi frequentius contingit, quam in Aortæ curvatura, qui locus cum parum diſtet a corde, ac totius ſanguinis a ſiniſtro ejuſdem ventriculo in Aortam repulſi impetum ſuſtineat, ejuſque curſum ſubito, ac violenter flectat, dictæ diſtractioni ferendę magis, quam cæteræ partes idoneus exiſtit. Quid aliud polypi ſunt, quam fibroſæ quædam, & ſatis tenues concretiones in vaſorum, & cavitatum præſertim,

(1) *diſp. 6. de morb. diff. cap. 4.* (2) *lib. 1. prax. admir. obſ. 3.*
(3) *lib. de morb.*

tim, quę præter nâturam ampliatę, & ſuperficies habent inæquales, lateribus genitę a deficiente ſanguinis volatilizatione, qua fit, ut fibratæ ejus particulę, minuſque ad motum expeditę facile ad dictas partes, in quibus minor eſt motus, ſubſiſtant, aliæ vero facile iiſdem adhæreant, & his aliæ, donec concretio, quam propter aliquam cum narium polypo ſimilitudinem polypum nominarunt, exoriatur? Ecquis vero aut prętternaturalem dilatationem, diſtractionemque vaſorum ad cor pertinentium, aut polypos eo redigere ſe jure poſſe confidat, ut ſanguinis prętterlabentis liber excurſus minime prohibeatur, hæmatoſeos opus, nec non ſecretiones, excretioneſque minime perturbentur, unde hydropis cauſa removeatur, & cum eadem hydrops? Reliquum eſt igitur, ut hydrops ab alterutra ex dictis cauſa oriundus multo ſero in pectore cumulato ad lethum uſque comitetur.

VII. *Hydropi pectoris ſputum cruentum ſupervenire, malum.*) Obſervatione dignum eſt, non raro tuſſim, quæ hydropem pectoris comitatur, quæque ſicca inter initia plerunque eſt, in humidam mutari, ſive id contigerit, quod materia irritans fiat ad excretionem apta, cum prius non eſſet, ſive quod repetita bronchiorum concuſſione humor, qui a glandulis pulmonum parce extillare ſolet, copioſius projiciatur. Hanc ſequitur ſputum cruentum, quod non aliunde quam a lympha copioſe in pectore cumulata, ac temporis diuturnitate eam acrimoniam nacta, qua pulmonum ſubſtantiam exedere valeat, repetendum eſſe luce clarius apparet. Hinc eſt, ſputo cruento apparente, peſſime pronuntiandum eſſe de ægrorum ſalute.

VIII. *In Anaſarca, & Aſcite, quò ſeroſos humores educam, contentus ſum pul. ex tart. ſolub. &c.*) Indicationes in hoc morbo curativas eſſe ſuperfluum nimis ſerum, quo corpus gravatur, opprimiturque, extra corporis confinia educere, tum ſanguini, cæteriſque liquidis debitam craſim reſtituere, tandem viſcera, ſolidaſque partes laxas, & infirmas roborare perſpicuum eſt. Ad primam indicationem abſolvendam nonnulli catharticis medicamentis, iiſque validioribus, quæque ſeroſos humores educere reputantur, utuntur. Medicamenta hęc hydragoga paſſim nuncupantur. Celebris eſt radix Bryoniæ, fructus & cortex mediana ebuli, Rhamnus cathartica, Spina Cervina, ejuſque ſyrupus, gratiola, æſula, gummi gut., elaterium, ſive Cucumeris aniſini ſuccus ad Solem inſpiſſatus, aliaque plurima, quorum accurata deſcriptio extat in Boerhaavii libro, cui titulus, de viribus medicamentorum (1). Quæ quidem omnia acrimonia ſua ductus inteſtinorum extimulando, venas majores ſero exhaurire, hiſque exhauſtis venas capillares, & vaſa abſorbentia effuſum humorem reabſorbere, continuato vero inteſtinorum ſtimulo, ſerum omne ſuperfluum extra corpus educere creduntur. Quę quamvis perbelle dicantur, & plura apud Auctores proſtent exempla hydropicorum, qui poſt hydragoga medicamenta evacuatis copioſe aquis convaluerunt, frequentius tamen ab hydragogis medicamentis laxato magis ſolidarum partium tono, & compage ſanguinis ſoluta, ęgros in eumdem morbum relapſos denuo evaſiſſe experientia compertum eſt. Quid quod vehementiorum purgantium uſu vel ſani in hydropem labuntur? Id quod non ſemel ſe vidiſſe teſtatus eſt Frid. Hoffmannus, atque obſervationibus in Eph. N. C. (2) confirmatum habemus. Quamquam vero ſi de levibus hydragogis ſermo ſit, cum in omni hydropis ſpecie, tum in ea maxime, quę Aſcites, & Anaſarca appellatur, tantum abeſt, ut ſaltem per intervalla locum non habeant; ut niſi adhibeantur, reliqua nullam fere præſtare operam valeant. Licet enim, ut monet Celſus, *emiſſus humor non ſanat, medicinæ tamen locum facit, quam intus incluſus impedit*. Quid porro tartaro ſolubili mitius? Nihil eſt aliud tartarus ſolubilis, ut omnibus notum eſt, quam ſal tartari aciditate cremoris tartari ſaturatus, ex quibus ſal ſalſus reſultat ad primas vias abſtergendum, ac leniter ſtimulandum aptiſſimus.

Radic. Mechoac. ſ. p. rhabarb. elect. &c.) Si de radice Mechoac ſermo ſit, ad hydropicos purgandos, & illos, quorum ventriculus, atque inteſtina copioſo muco ſunt infecta, efficaciſſima æque, ac mitiſſima eſt, ut propterea quoſcumque benigne purget, & ſine moleſtia, nec injucunde, cum omnis fere ſaporis expers ſit, vel infantibus ipſis, & pueris ad ʒ i. innoxie exhiberi poſſe teſtatus eſt Cl. Caſ. Hoffmannus. Viris

(1) *cap. 7. de hydrag.* (2) *Dec. 3. An. 4. obſ. 11.*

ris vero eamdem ab unc. s. ad unc. i. proponere minime veritus est Piso. Grates habendæ Nicolao Monardes, quod tantum medicamentum Græcis, & Arabibus incognitum primus promulgaverit.

Rhabarbaro vero nullum efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius inveniri facile judicaverim. Præterquam enim quod pulcherrima hujusce laus est, egregie, & sine molestia alvum purgare, accedit præterea, & solidas partes labefactatas corroborare, & lympham omnem præsertim primis viis, ac visceribus chylificationi dicatis insidentem atterere, obstructiones reserare, secretiones omnes, excretionesque promovere, verbo dixerim efficere, ut vires, ne subito corruant, quemadmodum in magnis purgationibus contingit, majorem in modum confortentur.

Semin. anisor.) Ultraquamquod cum purgantibus consociatum semen anisi eorum vim temperat, & tormina, quæ ab illis excitantur, præcavet, unde non inconcinne illud Helmontius intestinorum solamen appellavit, accedit præterea, pulmonum morbis adeo prompte subvenire, ut anima eorumdem a nonnullis dicatur. Ex anisi oleo expresso paratur balsamum sulphuris anisatum eximiæ virtutis in iisdem affectionibus. Hinc purgans ex his compositum eas vires habet, quas neque satis explicare dicendo, neque percensere numerando ullo modo possim. Nullum adhuc hydropicum vidi, licet cum suspicione effusionis aquæ in cavitatem pectoris, organico tamen vitio minime laborantem, qui ope hujusce remedii per epicrasim dati melius non habuerit, neminem vero, qui in Anasarcam externa aliqua de causa inciderit, qui in pristinum valetudinis statum restitutus non sit.

IX. *Horum dierum intervallo pulvis exhibeatur ex tartar. vitriol. arcan. duplic. &c.*) Diebus a purgatione vacuis diureticis ut salubre est practicorum consilium, præeunte observatione, nullam hydropis speciem posse perfectissime curari nisi per urinarum copiam, ita quidem, ut quo minus urinæ redditur, eo quoque minus sperandum de ægrorum salute.

Inter diuretica porro medicamenta principem obtinent locum sales, qui sanguinis partes incidendo seri copiam augent, serum ipsum sibi uniunt, atque a reliquis partibus separant, renalibus tandem porulis aptant, unde urinarum copiosus proventus. Quoniam sales sunt diversi generis, diversa quoque esse diuretica necesse est. Inter hæc eminent, quæ ex salibus mediis eliciuntur. Ejusmodi sunt tartarus solubilis, cujus etiam supra meminimus, terra foliata tartari, idest sal fixus tartari aceto saturatus, & in alium quemdam salem salsum mutatus, tartarus vitriolatus, qui & ipse sal salsus est ex sale tartari, & spiritus vitrioli portione emergens, arcanum duplicatum, sal scilicet ex capite mortuo aquæ fortis ex nitro, & vitriolo paratæ extractus, ut mittam salem marin. armoni., & plurima alia, quæ cum ad incidendum, abstergendum, & leniter vellicandum, tum ad urinas ciendas existunt opportunissima.

X. *Hisce frustra adhibitis boli ex milleped. lumbricor. terrestr. &c.*) Salibus salsis quamplurima sunt diuretica fortiora, ac vehementiora, quæque in usum vocanda sunt, ubi dicti sales salsi nihil profuerint, maxime arridente accuratiorum practicorum consilio, a levioribus semper aperientibus esse incipiendum, & paulatim ad validiora deveniendum. In horum censu veniunt præ cæteris millepedes, & lumbrici terrestres, qui ratione cujusdam subtilioris salis, quem nonnulli ad nitrosum revocant, alii eodem penetrantiorem prætendunt, & vi solvendi, fundendique magis pollentem, urinis potenter ciendis idonei reputantur. Ratione cujusdam subtilioris, activiorisque salis urinam potenter movere creduntur plantæ multæ, inter quas Eryngium, Ononis, asparagus, juniperus, virga aurea, apium, fœniculum, & hujusmodi alia: hinc tantopere commendatæ ad aquas per urinas deducendas.

XI. *Validiora hisce vix locum habent.*) Præter sales hactenus recensitos diuretica facultate pollentes, sunt quidam alii in nonnullis mixtis, qui acres dicuntur, quique sanguinis principia fundendo, ac vehementer stimulando operantur. Sales ejusmodi in antiscorbuticis plantis, uti sunt trifolium fibrinum, nasturtium aquaticum, cochlearia, persicaria, & aliis hisce affinibus, uti in cœpis, alliis, raphano, & similibus percipiuntur. Ex his spiritus per fermentationem eliciuntur, quibus nonnulli utuntur ad urinas ciendas, ubi cætera minus commode responderint, monente Celso,

ut

ut experiamur alia, atque alia ad hoc, ut optato fine potiri valeamus. Addunt alii ſpiritus acidos nitri, vitrioli, tartari, & ex his alios compoſitos, uti celebrem illum carminativum Sylvii, qui de tribus etiam vocatur, ut alia mittam quamplurima, quorum accurata extat deſcriptio apud ſuos Auctores. Verum enimvero illud quam maxime verendum eſt, ne ſi fortioribus ejuſmodi diureticis uti velimus, ſanguinis maſſam magis, magiſque fundamus, humoreſque ad exſudandum per infirmos cavitatum parietes nimis proclives vehementius, quam par eſt, impellamus, unde non ſolum incaſſum eadem adhibeantur, ſed ſumme nocua evadant, uti urina lixiviali jam facta ſæpius accidiſſe experientia demonſtrat.

XII. *Hiſce ſuccedat vinum Kalybeatum &c.*) Duo præſtant Kalybeata in noſtro corpore, parte videlicet terrea adſtringente fibras naturali tono deſtitutas, & laxas corroborant, ſulphure vero tenui, ac ſubtili, quo fęta ſunt, humores attenuant, aptioreſque reddunt ad fluendum, viſcida abſtergunt, ſecretiones omnes, excretioneſque reſtituunt. Hinc Kalybeatorum adverſus hydropem eximius uſus; quibus ſi addantur illa, quæ chyloſim juvant, quęque viſcerum obſtructiones a muco viſcido tenaci oriundas reſerant, ſuperſtites, ſi qui ſint, ſeroſos humores extra corpus educere valent, inter quę abſynthiaca omnia, rhabarbarina, amara, paratur vinum, quo nullum efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius remedii genus adhuc expertum eſſe bona fide teſtor. Eximias vires Marrubii albi prę cęteris plantis in ejuſmodi morbis adnotarunt Foreſtus, Hartmannus, ac prę cęteris Borellus, & Zacutus Luſitanus. Innumeris comprobari experimentis inquit Cl. Borellus (1) *marrub. albi ſummitates vino albo infuſas, & triduo epotas mire ad menſtrua provocanda, ſtomachum roborandum, cachexias, & fœdos virginum colores arcendos valere*. Conſerva florum marrubii cum melle parata ad unc. i. quotidie per quadraginta dies exhibita nobilem quemdam ſcyrrho hepatis jam diu laborantem integrę ſanitati reſtitutum fuiſſe, aliis Kalybeatis medicamentis fruſtra tentatis, memorat Zacutus Luſitanus (2). De Kalybeatis plura alibi dicemus.

XIII. *Quibus ſuppreſſæ ſunt naturales Menſium evacuationes, venæ ſectio &c.*) Phlebotomia in hydrope ab omnibus fere Medicis damnatur. Licet enim per eam exhauſtæ venę majores anſam prębeant venis capillaribus, vaſiſque abſorbentibus, ſerum, quod vel intra propria vaſa ſubſiſtit, vel intra fibras, aut in cavitates effuſum eſt, admittendi; cum tamen ſeroſum ipſum ſanguinem efficiat, vaſorumque imbecillitatem, & atoniam, quę ut cauſa, vel ut effectus cum his morbis conjungitur, ob ſpirituum jacturam, augeat, cauſa eſt, quare nova ulterius ſeri effuſio contingat. Quod tamen ſic accipias velim, ut ad credendum vehementer minime adducaris, nullum eſſe caſum, in quo etiam peccante Cacochymia ſeroſa, venę ſectio citra ullius diſcriminis ſuſpicionem adhiberi poſſit: nam ubi cum cacochymia ſeroſa plenitudo vaſorum conjungitur, uti in chloroſi ex ſuppreſſione menſium oriunda non raro contingit, tantum abeſt, ut venę ſectio noceat, ut etiam ſummopere proſit. Quod fere pręſtantiſſimi Alexandri Tralliani monitum eſt (3), ubi ait: *Cui enim hydropi Anaſarca nomen eſt, ea venæ ſectionem interdum requirit, ut quæ ex ſanguinis frigidi copia* (quę certe nihil aliud eſſe videtur, quam cacochymia cum plenitudine conjuncta) *naſcatur. Videmus enim, quod etiam ignis externus cum lignis viridibus propemodum extinguitur, refocillatur rurſus, ſi illa, quæ ipſum ſuffocabant, auferantur*.

XIV. *His etiam conferre viſæ ſunt pillulæ ex limatur. mart. &c.*) Cum ex dictis alibi (4) conſtet, ferrum duplici ſubſtantia fœtum eſſe, terrea videlicet, & corroborante, & ſulphurea, ac volatili, perſpicuum eſt, illud eſſe remedii genus, ut ſi quid in pertinaci Menſium ſuppreſſione ſperari poſſit, ab hoc uno remedio ſperari jure merito poſſit. Terrea enim parte acerbi omnes, atque acidi ſapores corriguntur, ſimulque tonus viſcerum reſtituitur, ſulphurea vero, ac ſpirituoſa mucilagineę ſordes primis viis, hiſque proximis viſceribus inhęrentes, unde menſes ſiſti contingit, diſſolvuntur, atque abſterguntur, atque hac ratione eorum fluxus reſtituitur.

Croc. opt. pul.) Quid Croco ad digerendum, ad reſolvendum, ſanguinis molem at-

(1) *obſ. med. p.* 289. (2) *lib.* 2. *prax. adm. obſ.* 48. (3) *lib.* 9. *de aqua inter cutem.* (4) *com. in aph.* 12.

attenuandam, ventriculum, atque huic proxima viſcera roboranda, eorumque obſtructiones, uteri pręſertim, reſerandas efficacius? Singulare eſt, quod narrat Amatus Luſitanus, mulierem quamdam ab aſſumpto medicamento, cui crocus admixtus fuit, duas puellas colore luteo tinctas peperiſſe, coloremque aquæ tepidę lotione evanuiſſe. Quod confirmatum fuit experimento Jo. Ferdin. Hertode (1), qui cum canem gravidam aliquando multo Croco nutriviſſet, eamque accedente partus tempore ſecuiſſet, non ſolum catellos, ſed ſecundinas ipſas flaveſcentes reperiſſe teſtatus eſt. Quod ſane illorum opinionem firmat, qui exiſtimant, crocum uteri affectibus ſpeciatim opitulari.

Gum. Sagap.) Nihil eſt Sagapenum, quam ſuccus ex planta quadam, quam Ferulam eſſe nonnulli cum Dioſcoride conjiciunt, medius inter gummi, & reſinam, qui ſi candelę admoveatur, flammam concipit, ſulphurearum particularum indicio manifeſtiſſimo, quę cum ſalinis ea ratione conjunctę ſunt, qua opus eſt ad diſcutiendum, attenuandum, abſtergendum, viſcerum imi ventris obſtructiones, uteri pręſertim, reſerandum, atque abhinc prodeuntem ſuppreſſionem menſium, atque hydropem profligandum. In uterum ſpeciatim agere ſuſpicantur nonnulli, quod fętum enecare dicitur; quorum propterea ſalubre conſilium eſt, ab eodem gravidis exiſtentibus mulieribus abſtinendum eſſe. Tantam Sagapeno obſtructiones reſerandi vim tribuit Rolfinkius, ut exterius etiam admotum incantamenti ad inſtar obſtructiones tollere haud dubie affirmaverit.

Alo. ſuccotrin.) Tres communiter aſſignantur Aloes ſpecies. Prima caballina eſt, quę ob odorem, & ſaporem teterrimum ſolis veterinariis ad brutorum uſum relinquitur. Altera hepatica, quę pręſtantior caballina, inferior tamen ſuccotrina ex inſula Succotra plantę ejuſdem nominis, ex qua ſuccus exprimitur, feraciſſima, unde ejus nomen, ad nos allata, quę omnium pręſtantiſſima; eaque cęteris poſthabitis ad uſum internum adhibetur, utcumque nonnulli apud *Zacutum Luſitanum*, & *Rolfinkium* hepaticam ſuccotrinæ anteponendam eſſe aſſeverent. Partium valde volatilium, tum ſalinarum, tum ſulphurearum copia donari Aloem ſuccotrinam Cl. Boulducii Reg. Scient. Acad. Par. ſocii experimentis compertum eſt. Ab his fere pendet facultas pituitam tenacem, ac viſcidam ventriculi parietibus adhęrentem incidendi, reſolvendique, ſimulque craſſas, viſcidaſque ſordes, quę in ventriculo, inteſtinis, inque proximis viſceribus ſtabulantur, detergendi, atque abhinc ortas obſtructiones, & Menſium ſuppreſſionem tollendi. Teſtor enimvero, me in virginibus chloroſi laborantibus, aliiſque graviſſimis morbis, & pertinaciſſimis ex uſu iſtarum pillularum mirabiles effectus deprehendiſſe. Nonnullis poſt duodecim, aliis poſt ſeptem, interdum etiam poſt tres dies, non ſine illorum admiratione, qui innumeris fere medicamentis earum corpora pertractaverant, Menſes rediiſſe, atque in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitutas eaſdem fuiſſe. Jam etiam me tacente facile omnes intelligunt, ubi res ſit cum cachecticis, atque iis, qui in anaſarcam lapſi ſunt, quibus ſuppreſſæ ſunt naturales Menſium, Hæmorrhoidum evacuationes, quibuſque humidiorum excrementorum copioſus proventus eſt, minus vereri fas eſſe, ut corpora eorum plus ęquo ſiccentur, & in atrophiam inducantur, viſcera inflammentur, in periculoſas hæmorrhagias labantur, quo metu perterriti plerique a Martialibus, atque excalefacientibus medicamentis, præſertim vero ab Aloeticis abſtinuerunt, ut revera verendum eſſet, ſi ægri *calidi, ut ajunt, & ſicci* temperamenti, ſi extenuati, quorum viſcera præfervida, ſanguis æſtuans, quique ad hęmorrhagias proclives ſunt, iiſdem pertractarentur, ut luculenter præ cæteris teſtatus eſt Fernelius (2). Ex quibus colligi poteſt, remedia eo caſu menſes moventia aliunde, quam ab hoc fonte petenda eſſe.

XV. *Ad acidulas opportuno tempore deveniendum.*) Varia paſſim vago Medicorum rumore circumferri ſolent de damno aquarum mineralium inſigni viſceribus inflicto, deque noxa in hydrope. Occaſionem dedit præ cæteris Agricola, qui, ut notat Frid. Hoffmannus (3), hæc omnia craſſe explicavit. Quibus plerique adeo ſunt perterriti, ut in pleriſque morbis, præſertim vero hydrope, cane pejus, & angue a Minerali-

(1) *in ſua crocologia.* (2) *lib. 3. meth. med. cap. 9.* (3) *in lib. de natura eorum, quæ effluunt e terra lib. 2. cap. 2.*

libus aquis abſtinuerint. Ne diutius quam par eſt huic quæſtioni immoremur, paucis habeto. Aquæ acidulæ in ea hydropis ſpecie, quæ ab inſigni aliqua læſione viſcerum dependet, abſceſſu puta, ulcere, vel ſimili, vel a lymphaticorum vaſculorum diſruptione, eroſione, unde ſeroſi humores in cavitatem Abdominis, vel Thoracis effuſi jam ſunt, minime conveniunt: ſiquidem illarum uſu viſcera magis magiſque labefactari contingit, lymphatica vero vaſa magis magiſque diſrumpi, atque abhinc prodeuntem hydropem augeri, aut confirmari. Quod ſi hydrops a laxitate tantummodo ſolidarum partium exoriatur, ab infarctu, atque obſtructione viſcerum imi ventris, indeque libero ſanguinis curſu impedito, quemadmodum illis contingit, quibus ſuppreſſæ ſunt naturales evacuationes, menſium præſertim in mulieribus, tantum abeſt, ut nullum levamen, certum noxæ periculum expectandum ſit, ut nihil excogitari poſſit, quod ad ejuſmodi morbos debellandos aut efficacius ſit, aut pro ægrorum opportunitate valentius. Ecquis eſt qui non videat, parte acidularum ſpirituoſa mucilagineas ſordes in primis viis, inque proximis viſceribus inhærentes diſſolvi, Martis vero vena ſolidas partes in priſtinum elaterii ſtatum reſtitui, dyſcraſiam viſcerum tolli, coctiones omnes, ſecretioneſque humorum promoveri, ac propterea hydropis fundamenta ab imo convelli? Quod verentur nonnulli, ab aquarum copia, ac ponderе ſolidas partes plus ęquo laxari, poros membranarum nimium diduci, ſeroſiſque humoribus in cavitates exitum dari, corpus ſuperfluo ſeroſo latice onuſtum reddi, meræ nugę ſunt; niſi de præpoſtero earumdem uſu eos intellexiſſe dicamus. Quænam enim tandem ſint quantumvis innocentiſſima, quæ præpoſtere adhibita aliqua ex parte non noceant? Quem non vadem demus, nullum non ſolum detrimentum capi poſſe ex aquarum acidularum uſu in hydrope, ſi debito cum regimine aſſumantur, ſed corpora exſiccari penitus, eorumque humiditatem omnem abſumi? Quę res ſic a pleriſque accepta eſt, ut intelligerent, corpora ſicca, & bilioſa extenuata, humidis excrementis vacua, quorum viſcera prędervida ſunt, atque ęſtuans ſanguis eſt, haud acidulis eſſe pertractanda, ne eadem magis magiſque exſiccarentur, in atrophiam inciderent, ac ſanguis magis accenderetur. Errorem tamen egregie ſuſtulit Cl. Henricus ab Heer luculenter oſtendens, id intelligendum eſſe de ſuperfluo aquoſo latice, qui in corporibus cachexia laborantibus, vel hydrope abundat; hęc enim corpora, abſumto, quo prędter naturam madefiebant, humore, exſiccantur, & macra redduntur, ut Cl. Cyrillus (1) egregie animadvertit.

XVI. *In hydrope thoracis vix lenientia ex flor. Caſ. pulp. tamarind. &c.*) Si in ulla hydropis ſpecie a purgantibus abſtinendum eſt, certe in thoracis hydrope abſtinendum. Cum enim in hac hydropis ſpecie ad animi deliquia, ad virium exſolutiones, & alia hujuſmodi mala proclivitas adſit, purgantia medicamenta nerveas fibrillas inſigniter vellicando, ac mordendo eadem facile excitare valent, atque ęgros de medio tollere. Quid ſi organicum vitium eidem anſam dederit? Si aneuryſma, periculum eſt, ne diſrumpantur arterię tunicę, ſanguiſque effluus ęgrum ſuffocet, ut Nobili cuidam viro accidiſſe novimus, qui hydrope thoracis laborans, aſſumpto ad educendas aquas purgante pharmaco, inter egerendum frigido ſudore ſuperveniente, mortuus eſt. Aperto cadavere aneuryſma ſatis inſigne Aortæ diſruptum eſſe, effuſumque ſanguinem in cavitate pectoris deprehenſum fuit. In eodem fere diſcrimine verſari hydrope laborantes, ſi polypus cordis, aut aortæ, ſi tubercula, aut vomicæ occultæ occaſionem præbuerint, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. (2) Quare ſatius eſt, emollientia tantum, ac lenientia adhibere, inter quæ Caſ. Man. & alia ejuſmodi, quorum pulcherrima laus eſt pectus lenire, atque expectorationem promovere.

XVII. *Imo tutius eſt uti Clyſter. ex urina puer. ..... terebinth. &c.*) Clyſteres ex terebinthina, nitro, & ſimilibus parati, præterquamquod alvum ſollicitando ad capitis, & pectoris ſymptomata avertenda idonei exiſtunt, urinas etiam copioſe ciere valent; quod non ſine admiratione accipi ſolet ab iis, qui cauſam, quare fieri id poſſit, ſe ignorare prorſus fatentur; quæ enim conſenſio inteſtinorum cum renibus, quid fæcibus cum urina commune? Qui tamen minus mirabuntur, ſi diligenter perpende-

(1) *conſ. 3. con. 8.* (2) *Vid. Alex. Knips Maccoppe de Aortæ polypo.*

rint, in Colo adeſſe vaſa lactea, per quæ facile poſſunt particulæ in ſanguinem invehi, quæ ad urinas promovendas ſint opportunæ. Neque deſunt exempla quorumdam, qui ſolis Clyſteribus nutrientibus diu ſuperſtites vixere. Huc accedit, poſſe clyſteres ex attactu Coli cum Renibus fotus inſtar ad ſerum urinarium copioſe ſeparandum eorum ſubſtantiam ſollicitare, ea prorſus ratione, qua laxantes, atque emollientes nephriticos dolores ſedare experimur.

XVIII. *Ad urinas ciendas ſolum boli ex millep. lumbric. pp. &c.*) Uti purgantium, ſic diureticorum ſummus habendus eſt delectus, atque ea quidem, quæ parti ab aquis obſeſſæ magis conveniunt, cæteris præferenda. Uti igitur ſalina, fortiuſque incidentia, & acida in Aſcite, & Anaſarca conveniunt, ita in hydrope pectoris vix, ac ne vix quidem locum habent. Cum enim debilis ſit eorum textura, facile ab ejuſmodi medicamentis, præſertim iis, quę acida ſunt, labefactatur: acida enim pulmonibus ſunt infeſtiſſima. Solum igitur balſamica, & nitroſa cum pulmones egregie corroborent, in hydrope pectoris eximiam operam præſtant. In horum cenſu veniunt millepedes, & lumbrici. Sale enim quodam nitroſo abundant, qui pulmonibus amiciſſimus eſt.

Sal quoque volatile ſuccini blanda, qua pollet, mitique aciditate, non ſolum pulmonum, ſed renum fibras corroborando, & amica titillatione efficiendo ſeri urinarii ſecretionem promovet, hinc eximius ejuſdem uſus in hydrope pectoris. Diuretica donari facultate balſama, uti ſunt Copaib., Peruvian., terebinth. ſupra a nobis demonſtratum eſt (1). Simili fere virtute ſunt præditæ pleræque plantæ, præ cæteris hedera terreſtris, quam cum pulmonum amicitia claram fecerit, in hac hydropis ſpecie convenientiſſimam eſſe certo certius habendum.

XX. *Hiſce addenda leviſſima Martialia ..... tinctur. mart. ſuc. pomor. ex. &c.*) Ne corroborantibus quidem remediis uti debemus in hydrope pectoris ſine delectu. Cum enim membranulæ, quibus pulmonum ſinus coagmentantur, nec arctiore, nec laxiore gaudere debeant ſtructura, ne aeris particulas, quæ hinc inde permeare ſolent, impediant, nec nimis firmo, nec nimis debili præditæ eſſe debeant tono, ut debita fibrarum muſcularium ope, quibus circumligantur, conſtringi, & dilatari poſſint, quæ adſtringendi vi pollent, pulmoni eſſe infeſtiſſima perſpicuum eſt. Quare ad ea confugiendum eſt, quæ debitum illis tonum conciliant, nec nimis adſtringunt, cujuſmodi eſt tinctura mart. ſuc. pomor. aut ſimili alio miti menſtruo parata, & huic affinia.

XXI. *Sed præ cæteris optima victus ratio inſtituatur &c.*) Egregie notat Celſus (2), Hydropem facilius in ſervis, quam in liberis tolli: *quia cum deſideret famem, ſitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptius his ſuccurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas eſt. Sed ne hi quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur.* Abſtinere præſertim a potu tanti intereſt, ut in hoc potiſſimum conſiſtat totius curationis momentum. Illud enim obſervationibus compertum eſt, neminem ſanari, niſi illum, qui a potu prorſus abſtinuit, curavitque urinas copioſius ejicere, ceſſante tunc omni ſiti, & cum ſiti morbo. *Et tum demum ſecunda valetudinis ſpes eſt, cum plus humoris per urinam excernitur, quam aſſumitur.* Ita laudatus Celſus.

Radicibus raparum &c.) Plures inſunt facultates medicæ radicibus raparum. Earum decoctum plurimum valere ad quartanas contumaciores, alioſque effectus debellandos Cl. practicorum, Cratonis præſertim, & Scherbii, ut refert Caſp. Hoffmannus (3) teſtimonio evincitur. Quid quod nullum in pectoris affectibus, & tuſſi pertinaciſſima efficacius, aut pro ægrorum opportunitate valentius earum decocto, ſi præſertim illud ad magni Cratonis conſilium 81. adornetur? Fateor enimvero, me ſimpliciſſimo hoc remedii genere in conſtitutione quadam Epidemica tuſſium mira præſtitiſſe. Quam ſapienter ait Plinius! *nos pleraſque herbas pedibus conculcare, quarum ſi nobis virtus ſpectata eſſet, eas in cœlum laudibus efferremus.*

Moderate exerceatur.) Exercitatione quoque corporis fit, ut multo facilius, quam ullis aliis remediis hydrops ſolvatur. Aucta enim ob motum muſculorum ſanguinis circu-

(1) *cap. 3. com. in aph.* 14. (2) *Lib. 3. cap.* 21.
(3) *in inſtit. med. lib. 5. cap.* 21.

culatione, effuſos humores partim per cutim excuti contingit, partim in venas pelli, & per alias excretionum vias tandem emitti. Unde Hippocrates (1) *laborem ſiccare, & corpus robuſtum facere* jure merito pronuntiavit: ut mittam quod Galenus (2) in eamdem ſententiam tulit: *Exercitatio omnium vitioſorum, qui in corporis profundo ſunt, humorum purgationem ſupplet.* Et alibi (3): *Exercitia collectas ſingulis diebus ſuperfluitates expurgant*: unde exercitio corpora leviora fiunt, ut notat Sanctorius (4): quod confirmat Verulamius (5) his verbis: *Vix aliquam in morbum inclinationem inveniri, quæ non exercitatione quadam propria corrigi poſſit.*

CAPUT VI.

De Aſthmate humido, & convulſivo.

I. *QUotieſcumque prohibetur, ne ſatis ampliata thoracis cavitate, explicatiſque pulmonibus ſufficiens aeris quantitas ad ſanguinis motum per eoſdem promovendum excipiatur, difficilis reſpiratio exoritur, interdum cum febre, plerunque ſine, homines invadens.*

II. *Tres ſunt difficilis reſpirationis ſpecies maxime illuſtres, dyſpnœa, aſthma, orthopnœa. Omnes gradu ſolum differunt inter ſe.*

III. *Innumera fere ſunt, quæ difficilem reſpirationem efficere valent; frequentiſſime 1. ichores craſſi, viſcidique, vel tenues ac fluidi e ſoluta ſanguinis maſſa, diductiſque nimium, atque apertis meatibus in pulmones depoſiti, 2. muſculorum, fibrarumque reſpirationi miniſtrantium ſpaſmodica contractio a ſpirituum animalium inconcinno, atque inordinato motu concepta irritatione ortum traducens: unde aſthmatis diviſio in humidum, & convulſivum.*

IV. *Difficilis reſpiratio cum ſonitu, & tuſſi, qua materia viſcida, ac lenta, vel tenuis, ac ſeroſa cum levamine excernitur, noctu gravior, quam die, quæ ſenſim augetur, ſenſimque imminuitur, nunquam vero omnino intermittit, aſthma humidum ſolet comitari.*

V. *Si quis derepente in difficultatem reſpirationis incidat, nullo ſonitu, ſtertoreque, nulla materiæ excretione, vel tenuis tantum, & ſeroſæ abſque levamine, comitante, cum ſenſu conſtrictionis cujuſdam zonæ ad inſtar ad ſternum, coſtas ſpurias, & vertebras lumborum, urinis crudis, & aqueis, dum invadit paroxyſmus, qui citra manifeſtam cauſam ſolvitur, aſthmate convulſivo laborare certo certius habendum.*

VI. *Contumaciſſimus morbus eſt Aſthma humidum, ſæpius recurrens, quique in ſenibus præſertim vix unquam curationem admittit.*

VII. *Convulſivum, ſi diuturnum fuerit, in humidum tranſit.*

VIII. *Utrumque in phthiſim, hydropem ſæpe deſinit.*

IX. *In paroxyſmo aſthmatis humidi oleum amygd. dulcium, mucilagin. ſemin. malvar. alth. pſyl., ſyrupi de ibiſco, papaver. rhœad. aqua malvarum, violarum diluti cocleatim propinandi.*

X. *Hydromel, decoct. fol. thee copioſe, & calide epotum mira præſtant.*

XI. *Si æger in ſuffocationis diſcrimine verſari videatur, etiamſi virium debilitas adſit, & pulſus obſcuritas, aut hydrops, ad venæ ſectionem deveniendum.*

XII. *Emetica cautiſſime præſcribenda Aſthmaticis, cum ſæpe a pectoris debilitate, anguſtia, ſputo ſanguinis prohibeantur. Ubi autem nihil prohibeat, ſint eadem blanda ex aqua tepida mellita, & penna oleo illita in fauces immiſſa, aut ſimilibus.*

XIII. *Hiſce ſuccedant boli ex gum. ammoni. ſpermat. ceti albiſſimi, lumbric. terreſtr. præp. ℥ ii. cum balſam. ſulphur. terebint. q. .s. f. 6. n. xx. cap. iv. quotidie ſuperbibendo decoctionem theiformem radic. enul. campan. fol. veron. heder. terreſtr. unc. vi. adde ſyrup. nicotianæ rite parati unc. i. Illorum loco dentur ſequentes. ℞. Terebint. venet. lot. ℥ i. .s. extract. enul. campan. heder. terreſt. a. ℥ .s. ſal. volat. ſuccin. ℈ i. m. f. bol. n. xii. cap. iv. quotidie.*

XIV.

(1) *lib. de diæta ſect. 38.* (2) *com. in Hippocr. lib. de diæta.*
(3) *ſect. 3. com. 50.* (4) *Med. ſtatic.*
(5) *lib. 4. de augment. ſcient. c. 1.*

XIV. Ubi ſtomachi mucilago præſertim ſit reſolvenda radix Ari. .ſ. pul. cum extract. flor. Chamom. q. .ſ. necnon decoct. folior. thee cum elixir. propriet. gut. xx. ad xxx. mirum in modum conferre viſa ſunt.

XV. In paroxyſmo aſthmatis convulſivi, ſi vehemens ſit difficultas reſpirationis, & plenitudo adſtiterit, venæ ſectio inſtituenda, Clyſteres emollientes injiciendi, manus, pedes in balneo aquæ tepentis demittendi per ſemihoram, aut amplius.

XVI. Tinctur. ſuccini rite parata, aut liquor Cor. cer. ſuccinat. a gut. xx. ad xxx. ex aq. fl. til. lilior. conval. mane exhibenda. Veſpertinis vero horis emulſiones ex ſemin. papav. alb. ℥ ii., quatuor frigid. unc. i. .ſ. in aq. lactuc. portulac. cum ſyrupo violarum eximiam operam præſtant.

XVII. Guttis aliquot laudani liquidi graviores inſultus ſedatos fuiſſe novimus.

XVIII. Oleum amygdal. dulc. ad unc. i. quotidie exhibitum quam bene cedit in aſthmate convulſivo!

XIX. Milleped. in vino albo infuſio ad aſthmata tum humida, tum ſicca curanda efficaciſſimum, ſit quod aliud eſt medicamen.

XX. Extra paroxyſmum opportuno tempore ferum lactis caprini deſtillatum cum foliis lactuc. portulac. fl. violar. papaver. errat. radic. liquerit. aven. hord. jujubis quotidie ad unc. viii. vel x. propinandum per xxx. circiter dies. Ardente ſirio aquæ Nocerianæ, Willenſes, tandem lac aſininum exhibendum.

XXI. Optima victus ratio inſtituatur. Ab acidis æger abſtineat, viſcidis, glutinoſiſque. Moderate exerceatur in aere præſertim ruſticano, aratrum dum terra figitur, ſequens.

CAPUT VI.

De Aſthmate humido, & convulſivo.

I. *Quotieſcumque prohibetur, ne ſatis ampliata thoracis cavitate &c.*) Nemo ignorat, reſpirationem duobus motibus conſtare fere contrariis, inſpiratione ſcilicet, & expiratione. Inſpirationem fieri, quando aer per glottidem intra pulmones adigitur, expirationem vero, dum ab iiſdem emittitur, manifeſta res eſt. Hi duo motus quomodo perficiantur, arduum, atque inſolens explicatu phænomenon eſt. Si tamen conſideremus aeri ineſſe gravitatem, id quod docet aſcenſus Mercurii in Barometro, nec non elaterem, id quod ſclopeta pneumatica, & veſica luſoria, quæ compreſſa ſtatim reſtituitur, manifeſtum reddunt, ac corpora in eo innumera circumquaque æqualiter premere, preſſioneque hac aliquo in loco deficiente, aut diminuta, illum qui circumſtans eſt in eum locum ingredi conari, quod cætera fluida faciunt, quæ eo tendere conantur, ubi minorem inveniunt reſiſtentiam, non multum negotii faceſſet phænomeni explicatio. Ecquis porro inficias ire auſit, aerem circumquaque premere animantium corpora, omneſque illorum partes, non ſecus ac illis accidit, qui ſub aquam merguntur, qui compreſſionem quamdam, & conſtrictionem ſentiunt? quam ſane & ipſi nos in aere verſantes ſentiremus, niſi vel diuturnitas ſenſum ſuſtuliſſet, vel ad illam conſtrictionem nati ipſam ferremus commodiſſime. Pulmones ad latera premi a coſtis exterioribus preſſionem ſuſtinentibus, ad fundum a ſepto tranſverſo, ad laryngem ab aere immediate, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Preſſione igitur aliqua ex his partibus deficiente, aut imminuta conari aerem eo tendere, ubi minorem offendit reſiſtentiam, luce clarius apparet. Idque potiſſimum accidit in inſpiratione. Dum enim elevantur coſtæ, ac deprimitur ſeptum tranſverſum, thoracis cavitatem tum quoad longitudinem, tum latitudinem ampliari contingit, pulmonum vero latera, & fundum aeris preſſionem amplius non pati, hinc aerem, qui ad glottidem

eſt,

eſt, cum viribus alterius ſibi contranitentis prævaleat, tota quidem ea vi, qua eidem prævalet, in bronchia, & pulmonales veſiculas irruentem mollem pulmonum ſubſtantiam inflare, atque attollere. In hoc motu, qui inſpirationem conſtituit, pulmones nihil agere, & dilatari, quia implentur, adeo manifeſtum eſt, ut nihil ſupra. Contrarium ſuccedit in expiratione. Depreſſis enim coſtis, & ſurſum adacto diaphragmate, ceſſantibuss cauſis pulmonem, & thoracem dilatantibus adjuvante vi aeris inferiores veſiculas occupantis, utpote magis compreſſi, & elaſtici, quemadmodum animadvertit Cl. Mazinus, (1) præſertim vero in fibris pulmonum compagi intertextis, ſeu reticulo muſculari eoſdem comprimente, aer a pulmonibus emittitur. Quo apparet, pulmones in expiratione nonnihil agere. In iſpiratione extrema vaſorum capillamenta pulmonales veſiculas ambientia explicari contingit, hinc ſanguinem per eaſdem facilius fluere; in expiratione vero eadem concidere, comprimi, ſanguinem ex iiſdem exprimi, atque hac ratione ſanguinis curſum per pulmones promoveri. Quod erat adoleſcentibus demonſtrandum, ut intelligerent, tunc cum ampliari non poteſt thoracis cavitas, explicarique pulmones, ac ſufficiens aeris quantitas ingredi ad ſanguinis motum per eoſdem promovendum, depravari, ac difficilem reddi reſpirationem.

Interdum cum febre, plerumque ſine &c.) Carentia febris ex Galeno communis eſſe debet omnibus difficilibus reſpirationibus, ita ut ſi cum febre ſint, aliam ægritudinem denuntient. Quæ ſententia multis minus commendatur. Poteſt enim, ut egregie animadvertit Cl. Bellinus, febris cum harum ſingulis conjungi, prout ſingulæ a diverſis morbis procedent febrim ſecum ferentibus, vel ipſa difficilis reſpiratio neceſſario ſecum feret productionem febris, niſi forte per difficiles reſpirationes intelligendæ ſint non quæcumque difficiles reſpirationes, & ab alio quolibet morbo vel pendentes, vel ipſum producentes, ſed quę velut ex ſe ſunt, & febre carent; quæ lis potius de nomine eſt, quam de re.

II. *Tres ſunt difficilis reſpirationis ſpecies &c.*) Pluribus modis depravatur reſpiratio, unde ortę varię difficilis reſpirationis differentię. Omnium reſpirationum difficilium facillima dicitur dyſpnœa, reſpiratio ſcilicet frequens ſine anhelitu, ſine ſtertore, ac ſibilo, cum modica moleſtia. Hanc ſequitur aſthma, reſpiratio ſcilicet difficilior majore cum anhelitu, moleſtia, ſtertore, ſibilo. Tandem Orthopnœa, ſeu difficillima reſpiratio, ut propterea ęgri non ſolum anheli ſint, ſed nonniſi erecta cervice reſpirare valeant. Quartam, ac ſummam alii addunt ſpeciem, Apnœam ſcilicet, quæ tamen potius reſpirationis intermiſſio eſt, quam difficultas.

III. *Innumera fere ſunt, quæ difficilem reſpirationem efficere valent; frequentiſſime ichores craſſi &c.*) Quoniam innumera fere ſunt, quę ad naturalem reſpirationem faciunt, aut cum ejus organis ſunt connexa, innumera quoque eſſe, quę eamdem difficilem reddunt, neceſſe eſt. Nempe ad reſpirationem præ cęteris concurrunt muſculi pectoris, intercoſtales interni, & externi, diaphragma, larynx, aſpera arteria, ejuſque diviſiones innumerę bronchia conſtituentes, veſiculę pulmonales, ſanguifera vaſa, aer qui in inſpiratione in pulmones admittitur, in expiratione vero emittitur, ſanguis per pulmonum vaſcula excurrens. Cum organis reſpirationis connexa ſunt Pericardium, Cor, Aorta, vena cava, viſcera imi ventris, quę omnia ſi aliquo modo vitientur, ut munere ſuo rite fungi non poſſint, reſpirationem difficilem reddere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Si enim de muſculis pectoris ſermo ſit, intercoſtalibus internis, externiſque, de diaphragmate, ecquis eſt qui non videat, aut paralyſi, aut convulſione, diſtractione, aut alio modo prętternaturaliter affectis, & thoraci dilatando, conſtringendoque impares reddi, liberumque aeris ingreſſum egreſſumque prohiberi? Larynx, ſeu ſuprema aſperę arterię pars, ſi ulcere, aut tumore detineatur, aſpera ipſa arteria ſi comprimatur, vel conſtringatur, aut ſimili vitio afficiatur, idem pręſtabunt; bronchia, & pulmonales veſiculę infarctę, obſtructę, aut extrinſecus preſſę, id

(1) *par.* 1. *mech. morb.*

id quod in tuberculis crudis, vomicis, calculiſque in pulmonibus latentibus contingit, ut innumeris conſtat obſervationibus apud Dodonęum (1), Platerum (2), Rentman (3), Thomam Bartholinum (4), Kerkringium (5), Jo. Rhodium (6), Piſonem (7), & M. N. C. (8), deſcriptis. Pulmonum item vaſcula craſſis humoribus, vel concreto ſanguine obſtructa, aut conſtricta magis, quam eidem libere trajiciendo paria ſint, anheloſę reſpirationi inducendę aptiſſima exiſtunt. Quid ſi aęr aut nimis rarus, vel denſus, vel incongruis particulis infectus ſit, id quod potiſſimum ex fumis metallicis, ſaturninis, ſulphureis, venenatis, arſenicalibus, carbonum foſſilium exhalantibus, perque eumdem diffuſis contingit, qui aut obſtruendo veſiculas pulmonales, aut plus ęquo diſtendendo, aut nerveas earumdem fibrillas conſtringendo ſibimet, & ſanguini per pulmones fluenti liberum excurſum prępediat? Nonne ſanguis nimia copia peccans, aut raritate, aut craſſitie, viſciditate, & lentore per pulmonalia vaſa trajectus plus æquo reſtitare valet, eorumque tunicas diſtendens partim neceſſarios pulmonum conſuetos motus præpedire, partim eorumdem veſiculas anguſtiores reddere, ac minus liberam ingreſſuro, atque egreſſuro aeri ſemitam efficere? Jam vero ſi pericardii cavitas ab aqua nimia, aut ſero cor inundante occupetur, aut pericardium ipſum tumore afficiatur, vel aucta cordis ſubſtantiæ magnitudo peccet, aut ejuſdem ventriculorum dilatatio, aut polypoſæ concretiones, ut D. Greiſelius in M. N. C. (9), Malpighius (10), Bergerus (11), & Bonetus (12) obſervarunt: arteria item Aorta ſimilibus vitiis infeſtetur, vena cava varicibus, ita quidem ut liber, & æquabilis aeris in veſiculas pulmonales ingreſſus, egreſſuſque prohibeatur, difficultatem reſpirationis exoriri debere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. De his vid. Alex. Kn. Maccoppe *de Aortæ polypo* epiſtola medica, præ cęteris vero Hippolytus Franciſcus Albertinus com. A. B. in animadverſionibus *ſuper quibuſdam difficilis reſpirationis vitiis a læſa cordis, & præcordiorum ſtructura pendentibus*: quibus addenda mala pulmonum conformatio, quam hæreditarium adſthma producere liquet ex M. N. C. & Foreſto (13). Neque raro evenit, ventriculo, hepate, liene, cæteriſque imi ventris viſceribus male affectis difficultatem reſpirationis ſubſequi: quod plerunque contingit in magnis obſtructionibus, tumoribuſque, quibus diaphragmatis depreſſio prohibetur, & liber aeris in pulmones ingreſſus, hinc difficultas reſpirationis; ut mittam hepar ope ligamentorum latorum, lienem ope membranarum cum diaphragmate, cætera viſcera ope nervorum cum organis reſpirationis inſignem habere communicationem, unde hiſce aliquo modo affectis, vel leni convulſione, diſtractioneque, illa quoque in conſenſum trahi contingit, & reſpirationem depravari. De ſingulis autem hiſce modis, quibus depravari poteſt reſpiratio, ac curatione ſpeciatim agere ultraquamquod aleæ pleniſſimum opus ſit, cum pleraque illorum vitiorum lateant ita, ut nihil de iiſdem liceat affirmare, quod erroribus obnoxium non ſit plane innumeris, ut cum laudato Albertino initio orationis animadvertimus, alia in aliis morborum tractationibus comprehendantur, nullum præterea dicendi finem faciam. Ad eam igitur tantum diffici-

(1) *obſ.* 23.
(2) *lib.* 1. *obſ.* 180.
(3) *lib. de calcul.* (2) *hiſt. c.* 1.
(4) *obſ.* 27.
(5) *cent.* 11. *obſ.* 3.
(6) *lib. de morb. a ſeroſa colluvie ſect.* 3. *c.* 4. *obſ.* 46.
(7) *an.* 4. *obſ.* 11. *&* *dec.* 2. *an.* 2. *obſ.* 303.
(8) *an.* 1670. *obſ.* 74. *nec non Dec.* 2. *an.* 10. *obſ.* 174.
(9) *Diſſert. de polypo.*
(10) *de polypo cordis.*
(11) *anat. pract. lib.* 1. 5. 2. *&* *lib.* 2. *ſect.* 2.
(12) *Dec.* 2. *an.* 6. *p.* 252.
(13) *lib.* 16. *obſ.* 9.

ficilem reſpirationem, de qua ſeorſim agitur a Medicis, quæque uſus obtinuit, ut Aſthmatis humidi, ſeu humoralis, vel convulſivi nomine inſigniretur, ſermonem contrahimus. Atque ad priorem quod ſpectat, ecquis eſt, qui non videat, turbata congrua ſanguinis mixtura, ſolutaque ejus compage, quod plerunque fit a ſalibus vitioſis in ipſa congeſtis, quibus fibroſa pars comminuitur, exteriturque, vel deficiente debito ſolidarum partium elatere, diductiſque plus æquo pulmonum meatibus, ichores craſſos, viſcidoſque, vel contra tenues facile in eoſdem deponi, gravare ipſos, atque obſtruere, unde difficultas reſpirationis? Quę fuit fere Veterum Medicorum de Aſthmate ſententia. Ad alteram vero quod attinet, quotieſcumque muſculorum, fibrarumque tunicam interiorem bronchiorum, & veſicularum componentium ſpaſmodica adſit contractio, dum ſcilicet exagitati ſpiritus per nervos, quibus veſiculoſæ membranulæ circumretiuntur, fluentes, in pulmonum ramis, aut in ipſo Cerebro concepta primum irritatione, earumdem fibras varie, inordinateque concutiunt, circumſcriptamque pectoris cavitatem coarctant, liberum aeri ingreſſum, egreſſumque prohiberi, atque hinc difficultatem reſpirationis exoriri manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Ejuſcemodi vitia in hypochondriacis, atque hyſtericis affectionibus frequenter obſervamus, in quibus nulla humorum vel intra, vel extra vaſa ſtagnantium copia, ſed ipſa ſola ſpirituum ataxia, ſeu inordinatus motus in pneumonicis nervis noxam ferre videtur; quæ res effecit, ut Cl. Helmontius primus omnium convulſivum, ſiccum, caducum Aſthma appellaverit.

IV. *Difficilis reſpiratio cum ſonitu, & tuſſi, quam materia viſcida, ac lenta &c.*) Si de ſingulis difficilibus reſpirationibus ſermo hic futurus eſſet, qui certa eorum ſigna tradere poſſemus? An peccet aquę in pericardio copia, an ejuſdem tumor, an aucta cordis ſubſtantię magnitudo, an ejuſdem ventriculorum aneuryſmata, polypi, an aortæ prętернaturales dilatationes, venę cavę varices, & ſimilia adſint, quę liberum ſanguinis per pulmones curſum, aeriſque ingreſſum in pulmones, & veſiculas, egreſſumque prępediendo anheloſam reſpirationem inducant? Si incerta, equivoca, nulliſque ſatis firmis fundamentis innixa morborum diagnoſis eſt, certe eſt difficilis reſpirationis a lęſa cordis, & pręcordiorum ſtructura pendentis, ut ſupra laudatus Albertinus oſtendit, qui diligentiſſime, atque uberrime argumentum hoc ad trutinam, ut ajunt, revocavit, ſuiſque obſervationibus illuſtravit. Verum cum agatur de Aſthmate a materia pulmones gravante, atque obſtruente, vel a ſpaſmodica partium ad reſpirationem facientium contractione, non adeo obſcura eſt ejuſdem diagnoſis, ut de genuina ejuſdem cauſa affirmari aliquid non poſſit. Ut ab aſthmate humido exordiamur, ecquis eſt qui non videat, materia craſſa, & viſcida, vel tenui, & ſeroſa in bronchiis hęrente, eademque infarciente, atque gravante, fieri minus poſſe, quin nerveę eorumdem fibrillę in convulſivum motum adigantur, qui cęteris partibus expirationi inſervientibus communicatus, eaſdem in violentam, ſubitam, & iteratam contractionem inducat, per quam aer prius inſpiratus mox vehementerque extrudatur, tranſienſque per arctatam laryngem ſonitum quemdam faciat: materia autem, quę in bronchiis impacta eſt, dimoveatur, & aere in ipſam impulſo foras, violenterque expellatur? Jam vero educta materia, pulmones a graviore ſarcina liberari contingit, atque ęgrum commodius reſpirare, donec alia denuo e ſanguinis maſſa diductiſque meatibus in pulmones deponatur, quę eoſdem gravans, atque obſtruens eadem ſymptomata denuo excitet.

Noctu gravior, quam die.) Animadverſione dignum eſt, difficultatem reſpirationis noctu adeo moleſtam fieri, ut vix ſpiritum ducere poſſit ęger, erectuſque in lecto ſedere cogatur: id quod potiſſimum efficit nocturni aeris pondus, friguſque majus redditum exterius thoracem comprimens magis, & inſenſibili tranſpirationi impedimentum nectens, interni vero aeris ſpira a ſanguinis effervescentia (quę pręſertim a lecti, & ſtragulorum calore concitatur) magis expanſa ſanguinis circulationem in exiliſſimis, & reticulatis pulmonum vaſculis notabiliter remorans.

V. *Si quis derepente in difficultatem reſpirationis incidat, nullo ſonitu, ſtertoreque &c.*

&c.) Nihil enarratorum ſymptomatum accidit in aſthmate convulſivo. Primo enim ſubito invadit paroxyſmus, quod cęteris omnibus convulſivis morbis ſolemne eſt, prę-ſertim vero epilepſię, ſeu morbo caduco, qua re permotus Helmontius aſthma caducum pulmonum appellavit. Ubi enim ſpiritus animales irritationem vel in pneumonicis vaſis, vel in cerebro conceperint, ſtatim cęco impetu hac illac ruentes nerveas fibrillas, parteſque ad reſpirationem concurrentes varie, inordinateque concutiunt, unde improviſa difficultas reſpirationis invadit. Nulla autem materia in bronchiis, & veſiculis pulmonalibus hęrente, quinam ſonitus, ac ſtertor, quęnam ejuſdem per tuſſim excretio? Si forte aliqua materię excretio obſervatur, ea ex repetita bronchiorum concuſſione repetenda eſt, per quam humor, qui ſecundum naturalis œconomię leges parce a glandulis extillare ſolet, copioſius projicitur, atque hinc eſt tenuem illam, ac ſeroſam eſſe, nullumque levamen ęgris afferre.

Cum ſenſu conſtrictionis cujuſdam Zonæ ad inſtar ad ſternum &c.) Diaphragma, ut notum eſt, cum ſterno, coſtis ſpuriis, & vertebris lumborum in ſui circumferentia connectitur: hinc ſi ſpaſmodica conſtrictione afficiatur, quemadmodum affici in aſthmate convulſivo certo certius eſt, nil mirum ſi ſenſus conſtrictionis cujuſdam Zonę ad inſtar ad prædictas partes percipiatur.

Urinis crudis, & aqueis dum invadit paroxyſmus, qui citra manifeſtam cauſam ſolvitur &c.) Cum in omnibus convulſivis morbis, tum in hoc etiam contingit, ut vaſorum omnium, & conſequenter etiam urinæ ſecretioni dicatorum orificia anguſta plus æquo, ideoque tenujoribus tantum, ſeroſiſque particulis admittendis, craſſioribus, terreſtribuſque relictis, apta reddantur, hinc urinæ crudæ, atque aqueæ. Quod phænomenon convulſivorum morborum ſic proprium eſt, ut hoc ſolo apparente vix in fraudem induci poſſimus, ut præ cæteris Cl. Sydenhamus teſtatus eſt. Sed hac de re plura ubi de affectione hypochondriaca. Uti concepta irritatione ſpiritus animales derepente paroxyſmum excitant, ita ubi ad quietem ſint compoſiti, eumdem ſolvunt. Quid enim aliud præſtandum?

VI. *Contumaciſſimus morbus eſt Aſthma humidum, ſæpius recurrens &c.*) Turbatam congruam ſanguinis mixturam, ſolutamque ejus compagem corrigere, ſimulque laxas, atque flacceſcentes pulmonum fibras in priſtinum ſui elaterii ſtatum reſtituere difficillimum eſſe nemo eſt, qui non videat. Quæ duo cum maxime peccent in aſthmate humido, curatu difficillimum morbum conſtituere manifeſta adeo res eſt, ut curioſiore explicatione nullatenus indigere poſſe putem. Ichores nempe, qui e ſoluta, ac colliquata ſanguinis compage, ſimulque apertis nimium, ac diductis pulmonum meatibus in pulmones deponuntur, eorum fibras laxant magis atque enervant; labefactatus pulmonum tonus congruam ſanguinis mixturam magis magiſque turbat, hinc aucta in dies ſingulos morbi cauſa, contumaciſſimum, ac remediis cedere neſcium, licet recurrens ſit, morbum fieri neceſſe eſt. Cum enim actione reſpirationis ſanguis majorem in modum attenuetur, miſceatur optime in ſuis partibus, & neceſſariam fluiditatem adipiſcatur, fit, ut læſa reſpiratione ceſſante aeris preſſione, ac veſicularum, fibrarumque pulmonum compagi intertextarum actione, optima ſanguinis attenuatio, & mixtura ceſſet, aut plurimum langueſcat, copioſioreſque ichores in pulmones deponantur. En curationis difficultatem.

VII. *Convulſivum, ſi diuturnum fuerit, in humidum tranſit.*) Quemadmodum repetita bronchiorum concuſſione humor, qui parce a glandulis extillare ſolet, copioſius projicitur in aſthmate convulſivo, & materiæ ſeroſæ excretio habetur: ita ſi præ morbi diuturnitate fibræ pulmonum compagi intertextæ laxentur, cum eadem de cauſa optima ſanguinis attritio, ac perfecta mixtio ceſſet, aut plurimum imminuatur, ichores in eoſdem deponi contingit, & in ſpirandi difficultatem cum materiæ viſcidæ, ac lentæ, vel tenuis, & ſeroſæ excretione tranſitum fieri.

VIII. *Utrumque in phthiſim, in hydropem ſæpe deſinit.*) Si forte contingat, ut humor craſſus, ac viſcidus, vel tenuis, ac ſeroſus in pulmonibus contentus longa mora in anguſtis finibus, caloreque partis intenſo tenujoribus, atque aqueis avolantibus particulis in duram quamdam, ac to-

pha-

phaceam materiam concreſcat, tubercula, vomicæ occultæ generantur, quæ inflammatæ, ac ſuppuratæ abſceſſus, ulcera pulmonum, ac phthiſim progignunt. Quod ſi ſola peccet ſpaſmodica partium reſpirationi inſervientium contractio, fieri minus poteſt, quin ſanguinis, fluidorumque per pulmones præterfluentium curſus prohibeatur, vitioſæ, ac præternaturales ſecretiones ſeri, lymphæ vel in vaſis, vel extra contingant, ac congeſtiones ejuſdem, quę phthiſim excitent. Quid facilius eſt, quam ut turbata congrua ſanguinis mixtura, ac labefactato ſolidarum partium tono, ſeroſæ partes a reliquarum nexu ſecedant, atque vel in lymphaticis vaſis ſubſiſtant, vel per membranarum poros elabantur, & in cavitates effundantur? Dum hæc fiunt, hydropem ſubſequi adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

IX. *In paroxyſmo aſthmatis humidi oleum amygdal. dulc. mucilagin. ſem. malvar. &c.*) Ubi anheloſa reſpiratio ægrum dire exerceat cum ſtertore, ſibilo, & difficili materiæ excretione, eo nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut materia per ſputum ejiciatur, pulmoneſque a graviore ſarcina liberentur, manifeſtum eſt. Hinc ea omnia, quæ demulcent, nonnihil attenuant, ac reſolvunt, conveniunt in paroxyſmo. Ad demulcentia porro ſpectant linctus, & eclegmata ex oleo amygdal. dulcium, & mucilaginibus ſemin. Malvar. Alth. & ſimilium.

Looch in officinis proſtant, quæ in eumdem ſcopum adhiberi poſſunt. Rariſſimus tamen eſt eorumdem uſus. Niſi enim recenter illa fiant, rancida evadunt, & ſtimulando tuſſim, ac difficultatem reſpirationis adaugent.

X. *Hydromel, decoctum folior. thee &c.*) Nihil vero hydromelle, aut decocto folior. thee ad blande attenuandum, & ſimul viſciditates reſolvendas aptius, aut pro ægrorum opportunitate valentius. Fit hydromel aquoſum, ſi mel ſit aquæ ſubdecuplum, & coquatur ad conſumptionem quartæ partis. Hujuſce porro eximias virtutes novit Hippocrates, affirmans ſputum mediocriter educere, tuſſim ſedare, & diureticum eſſe. Quo loco ſilentio prætereundum non eſt, Mel divinum nectar appellaſſe Plinium, eoque uti ſolitos fuiſſe antiquos ad ſanitatem tuendam. Hinc Pythagoras referente Laertio frugaliter vivens ſolo ſæpe pane, & melle contentus ad nonageſimum annum vitam feliciſſime protraxit, eoſque diu incolumes vivere poſſe affirmabat, qui mel crebro comediſſent. Unde refert Athenæus, quod Pythagoricorum cibus panis erat cum melle. Et Plinius (1) Pollionem Romanum equitem memorat annum centeſimum excedentem, qui interrogatus ab Auguſto Imperatore, quo modo vigorem illum animi, corporiſque ſervaſſet, reſpondit, foris oleo, intus melle, quod a Democrito ſe edoctum fatebatur.

Sed jam de foliis thee dicendum. Si igitur folia thee ore percipiantur, blanda adſtrictione donantur, ſi naribus admoveantur, odorem ſubtilem, & pergratum exhalant; quare ex mediocris ſalis volatilis oleoſi portione cum terra adſtringente conſtare a pleriſque reputantur. Blanda adſtrictione fibrarum tonum, & oſcillationem reſtituendo, partibus vero ſpirituoſis, ac volatilibus lympham, humoreſque craſſos, viſcidos, & lentos attenuando, & ſolvendo aſthmate, ac catarrho laborantibus opitulari. Alii vero contrarium ſuſtinent negantes omnino, herbam thee ſale volatili oleoſo eſſe fœtam, damnanteſque illos, qui ab eodem ſale virtutem thee repetunt. Si enim herba thee deſtillationi committatur, non ſpiritum volatilem alchalina virtute præditum, ſed ſubacidulum, adſtringentem, empireumaticum prębet. Decoctum ejuſdem ad ſolutionem vitrioli in verum atramentum degenerat, perinde, ac ſi gallarum infuſio aſſumpta fuiſſet, ſolius terræ adſtringentis indicio manifeſtiſſimo. Virtutem potiſſimum, quam habet ejus extractum, alvum conſtipandi, ejuſque fluxum cohibendi, annotavit D. Mandelsloh in itinerario Indico (2). Atque hi quidem in ea ſunt opinione, ut credant, infuſum herbæ thee, qua ratione copia adſtringentium

(1) *lib. 22. cap. 24.*
(2) *cap. 6.*

tium particularum nerveos tubulos anguſtat, ineptoſque reddit ad uberiorem ſpirituum animalium quantitatem evehendam, eadem efficere, ut iidem majori velocitate ferantur; aucto vero ſpirituum motu functiones noſtri corporis longe alacrius, ac promptius peragi, excretioneſque omnes, ſecretioneſque promoveri. Hæc fere Hoffmannus (1). Cujus quidem ſententia nihil aliud ingenioſius dictum. Quamvis autem ipſe haud inficias ire auſim, non omni prorſus virtute deſtitutam eſſe plantam hancce, ſi quid tamen utilitatis ab ejuſce infuſo accipitur in aſthmate, id maximam partem deberi aquæ calidæ largo potu ſumptæ facile judicaverim. Mirum enim quantum calida ad diſſolvendum conferant, ac pectori amica ſint, ut Baglivus teſtatus eſt.

XI. *Si æger in ſuffocationis diſcrimine verſari videatur &c. ad venæ ſectionem deveniendum.*) Nullum magis præſentaneum in difficultate reſpirationis ſumma, quam phlebotomia. Minorata enim fluidorum maſſa, & vaſis, quæ nimium diſtenta erant, relaxatis, validiuſque, & fortius ſeſe contrahentibus, ſtagnantes humores fluidiores fieri contingit, parti affectæ tenaciter adhærentes dimoveri. Ita Celſus (2) in difficultate reſpirationis, niſi aliquid prohibeat, venæ ſectionem tamquam ſummum remedium præcipit. Prohibens venæ ſectionis eſt pulſus obſcuritas, viriumque imbecillitas, quæ tamen ægrum a phlebotomię neceſſitate minime detorquere debent, cum vires opprimantur, ſuffocenturque, pulſus vero conſtringatur, atque intercipiatur: quo in caſu tantum abeſt, ut venę ſectionem prohibeant, ut potius eamdem indicent quam maxime. Ad cujus rei ſtatum intelligendum neceſſarium eſt diſtinguere virium debilitatem, quæ, ut ajunt, a reſolutione pendet, quæque fit per ſuffocationem. Pendet enim illa (3) a ſpirituum, & cruoris inopia, atque fibrarum motricium languore; hæc vero potius a nimia copia, fibrarumque diſtractione, quę propterea illis regendis, ac debita velocitate pellendis pares non ſunt. Modo ſi in hac debilitate ſecetur vena, cum immiuta reſiſtentia, depletiſque vaſis fibrę motrices ad priſtinum ſui elaterii gradum reſtituantur, vires augentur, ac confirmantur: idque evenire certo certius cenſendum eſt in aſthmate, in quo vires, ob impeditum liberum ſanguinis excurſum per pulmones, indeque univerſum corpus, ſunt ſuffocatæ. Neque vero officit nobis, quod reponunt nonnulli, per longam phlebotomiam tonum ſolidarum partium labefactari, congruam ſanguinis mixturam perturbari, atque ad hydropem viam ſterni. Quotieſcumque enim valida Orthopnęa recrudeſcit, nonne in immaturam ſuffocationem labi poteſt æger, niſi venæ ſectio celebretur? Hippocrates robur addit (4), qui etiam hydropicis reſpirandi difficultate detentis, ac ſi tempus æſtivum vigeat, ſanguinem e brachio detrahere minime eſt veritus.

XII. *Emetica cautiſſime præſcribenda aſthmaticis, cum ſæpe a pectoris debilitate &c.*) Concitato vomitu non ſolum ſtomachus, qui plerunque aſthmatis humidi fomes eſt, craſſas, viſcidas, mucoſaſque particulas una cum chylo in ſanguinem invehendo, ſed pulmones ipſi, quibus tenaciter adhærent humores, ſuccutiuntur, & a graviore ſarcina liberantur. Hinc emetica aſthmate, & catarrho laborantibus paſſim ſolent a Medicis adhiberi. Cavendum eſt autem quamdiligenter, ne a pectoris debilitate, atque anguſtia, quæ plerunque aſthmaticis familiaris eſt, ne a ſputo ſanguinis, ad quod proclives ſunt, & a difficultate ad vomendum prohibeantur. Quamquam hiſce non obſtantibus non quæcumque emetica præſcribenda ſunt, ea videlicet, quæ exquiſitas ventriculi membranas vehementer irritant, & in violentos ſpaſmos agunt; quorum in cenſu veniunt, quę ex vitriolo, helleboro, colocyntide, tabaco, ſeu nicotiana parantur, ſed ea ſolum, quæ leniter ſtimulando operantur, & nauſeam

(1) *Opuſ. Med. diſ.* 12. *ſect.* 8.
(2) *l.* 4. *c.* 4.
(3) *V. cap.* 4. *com. in aph.* 15.
(4) *lib. de vict. rat. in acut.*

ſeam potius movent , cujuſmodi ſunt aqua mellita copioſe exhibita , cujus propterea operatio penna oleo illita , vel digitis in fauces immiſſis juvanda eſt . Quod familiare olim fuit athletis , ut melius ferrent copioſum alimentum , & novo ingerendo idonei eſſent , nec non Veteribus Romanis , ut liquet ex Celſo (1) & Svetonio (2) . De modo autem , quo vomitum provocabant Cl. Schultzius conſulendus (3) .

XIII. *Hiſce ſuccedant bol. ex gum. ammoni. ſpermat. cet. &c.*) Ea quæ lentas , viſcidaſque mucagines incidunt , atque attenuant , humoreſque ſuperfluos , & noxios per inſignes ſecretionum vias extra corporis confinia educere valent , quæ tandem pulmonum fibras laxatas , ac flacceſcentes corroborare , præter hactenus recenſita remedia , apprime ſunt neceſſaria . Gummi ammoniacum ſuccus quidam eſt ex planta quadam umbilifera ſtillans , concretuſque medius inter gummi , & reſinam ex Alexandria Ægypti ad nos delatus , qui ut dictum eſt de Sagapeno carbonibus injectus in flammam exardet , ſulphurearum particularum indicio manifeſtiſſimo , quæ porro cum ſalinis ea ratione conjunctæ ſunt , qua opus eſt ad craſſos , viſcidoſque humores incidendos , lentos , ac tenaces diſſolvendos , collectos diſcutiendos , atque abhinc prodeuntes viſcerum , ac pulmonum obſtructiones , & tubercula diſſipanda . Eadem fere virtute donantur ſperma ceti , lumbrici terreſtres , millepedes , ut ſupra oſtendimus , pleraque balſama , uti terebinthina , ſuccinum , in quibus omnibus diuretica virtus maxime elucet , unde urinæ ex iſtorum aſſumptione violaceo odore imbuuntur . Plantas , quæ balſamica vi , & non admodum calefaciente pollent , inter quæ veronica eminet , hedera terreſtris , radix enulæ campanæ , & ex his parata medicamenta , eadem virtute donari cenſendum eſt , quæ propterea adverſus aſthma e craſſis , viſcidis , lentiſque humoribus pulmones gravantibus , obſtruentibuſque ſolent adhiberi magno cum fructu .

Multi proſtant in officinis ſyrupi , qui decoctionibus ex recenſitis plantis addi ſolent ad eorum operationem juvandam . Hujuſmodi ſunt ſyrupi de pharphara , de elenio , eriſimo , capillorum veneris , aliique , quibus tamen præſtantior creditur ſyrupus nicotianæ . Etenim partibus ſulphureis , ac volatilibus conſtare reputatur ad viſcidos , lentoſque humores incidendos , atque ad anacatharſim promovendam aptiſſimis . Hinc nicotianę fumo quamplurimos ab aſthmate pręſervatos fuiſſe legimus . Illud tamen curandum eſt , ut rite ſit pręparatus : ſecus enim nauſeam , ac vomitum ciet .

XIV. *Ubi ſtomachi mucilago præſertim ſit reſolvenda , radix Ari s. p. &c.*) Radix Ari tanta pollet acrimonia , ut ſi caule ſilente guſtetur , vellicationem per diem integrum in lingua relinquat . Particulis valde tenuibus , ac volatilibus conſtare creditur ad pulmonum bronchia a tenacibus , lentiſque ſuccis liberanda , tum pręſertim ad mucum viſcidum , & ſpiſſum ventriculi , & inteſtinorum parietibus adhęrentem potenter incidendum , attenuandum , ac reſolvendum aptiſſimis . Ea de cauſa eximius eſt illius uſus in Aſthmate humorali , ubi præſertim ſtomachi mucilago , quę fomes ejuſdem non raro eſſe ſolet , ſit reſolvenda .

Cum Aloe , Croco , & Myrrha conſtet elixir proprietatis , iiſdem muneribus opportuniſſimum exiſtere adeo manifeſtum eſt , ut curioſiore explicatione nullatenus indigere jure putem (4) .

XV. *In paroxyſmo aſthmatis convulſivi &c. venæ ſectio inſtituenda &c.*) Cum in omni convulſione , tum in ea maxime , quę vel a plenitudine humorum pendet , vel cum plenitudine conjuncta eſt , pręſtantiſſimum ſi quod aliud remedium eſt venę ſectio : multo magis ſi organa reſpirationis occupet , ſanguinis circulationem in e-

XI-

(1) *lib.* 1. *cap.* 3.
(2) *in Vitel. cap.* 13. *item in Neron. cap.* 20.
(3) *in diſſert. de athletis veterum , eorumque diæta , & habitu ſect.* 61. 62. 63.
(4) *Vid. cap.* 5. *com. in aph.* 13.

xiliſſimis, & reticulatis pulmonum vaſculis notabiliter remorans, & conſequenter ęgrum in ſuffocationis diſcrimen adducens. Imminuta enim ſanguinis copia affectas partes nimis tenſas laxari contingit, ſpiritus animales minore copia, motuque in eaſdem irruere, atque hac ratione placidam exoptandam tranquillitatem conciliari. Caute tamen procedendum eſt, & tunc ſolum, cum vehemens ſit paroxyſmus, ad venę ſectionem confugiendum. Nam cum ſępe recrudeſcere ſoleat morbus, per longam phlebotomiam ſolidarum partium tonus labefactatur, & congrua ſanguinis mixtura perturbatur, ut ſupra innuimus, ideoque periculum eſt, ne in hydropem ęger labatur. Huc accedit, remedio aſſueſcere morbum, ideoque ejus vim ubi advenerit plurimum imminui, ut ſcite docuit Verulamius (1) ubi ait: *Si nimium aſſueſcat medicationi, detrahet de viribus, & efficacia ejus, quando morbus advenerit.*

Clyſteres emollientes injiciendi, manus, pedes in balneo aquæ tepentis &c.) Non eſt hic ſilentio prętereundum, quod toties inculcavimus, eam eſſe inter nervoſas partes noſtri corporis connexionem, ut una affecta, alię quoque licet longe diſſitę affi-ciantur. Ita in convulſionibus emollientia medicamenta extremis partibus applicita, Clyſteres emollientes injecti in inteſtina, quę infirma non ſunt, alias longe diſſitas ſummopere levant. Nempe per mirabilem illam inter nervoſas partes connexionem laxatis extremarum partium, atque inteſtinorum fibris, illas quoque quę ad reſpirationem faciunt laxari neceſſum eſt, ac convulſionem earumdem ceſſare, aut plurimum imminui.

XVI. *Tinctura ſuccini rite parata.*) Quędam ſunt balſama, uti ſuccinum, myrrha, & alia h. m., ex quibus tincturę parantur, quę a pręſtantiſſimis practicis duce Helmontio chymico egregio ad irregulares, atque inordinatos ſpirituum animalium motus compeſcendos commendantur. Difficultas autem eſt maxima, ut reperiatur congruum menſtruum, quodque ſolvendi prędicta balſama vim habeat. Cum enim conſtent non ſolum reſinoſo, ſed etiam gummoſo principio, quod ſolutioni valde reſiſtit, ope communis menſtrui, nempe ſpiritus vini licet defęcatiſſimi, & tartarizati, eliciuntur tincturę, quę leviſſimę ſunt, quęque illorum ſubſtantia vix, ac ne vix quidem ſunt ſaturatę. Alium igitur modum excogitarunt chymici experti, & docti. Succinum videlicet, aut ſimile corpus atterunt, & miſcent cum ſale alchalico fixo, & in loco nonnihil humido reponunt, donec attracta aeris humiditate, vel humiditate in ipſo latente liqueſcat. Liquefactum ſuccinum exſiccant, & denuo in loco humido reponunt, donec illud tandem ſequatur, ut totum in humido loco repoſitum molle fiat ad inſtar paſtæ cujuſdam, quæ digitis comprimi, tractarique poſſit. Succinum ita paratum ſi miſceatur cum ſpiritu vini, tinctura elicietur ejuſdem ſubſtantia plurimum ſaturata, quæ prædictis muneribus opportuniſſima exiſtit.

Liquor Cor. Cer. ſuccinat. a gut. xx. *ad* xxx. *ex aq. flor. til. &c.*) Si ſal volatile ſuccini, quod mitem atque blandam habet aciditatem, cum ſpiritu Cor. Cer. uniatur, emergit mixtum quoddam medicamen liquoris Cornu Cervi ſuccinati titulo inſignitum, mitiſſimum æque, atque ad convulſivos morbos compeſcendos aptiſſimum. Exhiberi ſolent ejuſcemodi tincturæ ex aquis, quæ pares a natura vires ſortitæ ſunt, ut earum operatio juvetur. Tales ſunt aquæ ex flor. Tiliæ, Lilior. conval. &c. qui flores teſtante Cl. Hoffmanno naribus admoti caput primum grave efficiunt, tum ſomnum conciliant. Sulphureis enim conſtant particulis tenuiſſimis, quæque in maſſam ſanguinis invectæ in medullares uſque cerebri fibras ſe inſinuant, ſpirituum motus inordinatos in ordinem redigunt, atque abhinc prodeuntes ſpaſmos compeſcunt, ut capite de phrenitide demonſtratum eſt (2).

Veſpertinis vero horis emulſiones ex ſemin. papav. alb. &c.) Facultatem hanc multo majorem ineſſe cenſendum medicamentis ex

(1) *lib. de ſermon. fidel.*
(2) *com. in aph.* 18.

ex papavere deſumptis, cujus ſuccus concretus Opium dicitur, qui ſoporifera vi pollet. Minima vis hæc ineſt papav. albi ſeminibus, quæ propterea inter initia adhibentur, cum ſaluberrimum conſilium ſit accuratiorum practicorum, a levioribus ſemper eſſe incipiendum, tum ſi hæc fruſtra adhibeantur, ad validiora confugiendum.

XVII. *Guttis aliquot laudan. liquid. graviores inſultus &c.*) Quod conſilium quam diligenter tenendum, ſi quid ſentio, traderem in narcoticorum uſu, ne ſpiritus obruamus, ſuffocemuſque. Ad aſthmaticos inſultus, & graviores palpitationes levandas, ut ſaltem ægrotantium vita paulo diutius protrahatur, hypnoticis medicamentis uti conſueverunt viri Cl. Williſius (1), Sydenhamus, Charletonus (2), aliique eoſdem ſequuti.

